# DE COELORVM ANIMATIONE EX THEOLOGIS ET PHILOSOPHIS COLLECTANEA, CVM RESOLVTIONE CATHOLICA.

Per CLAVD. ESPENC.
Pariſienſem Theologum.




PARISIIS,
Apud Michaëlem Sonnium, via Diui Iacobi,
ſub ſcuto Baſilienſi.

1 5 7 1.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

# DE COELORVM ANIMATIONE EX THEOLOGIS ET PHILOSOPHIS COLLECTANEA, CVM RESOLVTIONE CATHOLICA.

Per CLAVD. ESPENC.
Pariſienſem Theologum.




PARISIIS,
Apud Michaëlem Sonnium, via Diui Iacobi,
ſub ſcuto Baſilienſi.
1571.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

## PRIVILEGII SENTENTIA.

CAutum eſt autoritate Caroli IX. Francorum Regis Chriſtianiſſimi, ne quiſquam alius ante nouẽnium ab impreſſione ſingulorum librorũ, Opera vlla Claudij Eſpencæi, Theologi Pariſienſis, excudat, néve vẽdat, præter eum Typographum, cui excudenda autor ipſe dederit. Qui ſecus fecerit, libris, & pœna in ſanctione æſtimata multabitur. Priuilegium Pariſiis irrogatum, V. Nouembris, Anno M. D. LXVI.

Per regem ad relationem D. Cancellarij.
CAMVS.



# CHRISTIANIS
## PHILOSOPHANTIBVS.

CVM ſuperiori hyeme hîc ageretur de R. Cardinalis Contareni patritij Veneti non ita dudum præſtantiſsimi Theologi & philoſophi operibus partim iam excuſis recudẽdis, partim excudendis nunquam aliàs excuſis, & ſubuereretur doctiſsimus quidam theologus eorum pro more hîc recepto examinator ei ſubſcribere, quo videtur autor ſenſiſſe cœlos eſſe animatos, conſulenti amico reſpondi, tantillum hoc fragmentum, meo quidem iudicio, obeſſe non debere, quominus integrum opuſculum, cætera preſertim ſanum, vt ait Apoſtolus, & irreprehenſibile, excuderetur, vel potius recuderetur, iam vtique ante annos plus quadraginta apud catholicos excuſum, quodque hactenus tot in religione catholica cenſores & cenſuras euaſiſſet. Ad hæc quòd author in eo opere philoſophum magis agat, quàm theologum. Denique in omnem euentum ſiquidem id viſitatori non placeret, adnotari poſſe ad marginem, in hoc philoſophicum ſiue dogma, ſiue placitum fuiſſe à patribus inter Origenica animaduerſum. Habebã enim locos in vtranque huius argumenti partem, occaſione Sorbonicæ

*Lib.1.de immortalitate animæ.*

*Tit.2.*

*Venetiæ anno 1525.*

diſputationis ante annos aliquot apud nos habitæ, ex philoſophis & theologis vndecunque potueram, collectos, vel magis, quod ait ille,

*Summa modò faſtigia rerum.*

Intermiſsis ergo quæ in manibus erant, ſuper Euchariſtico negotio, grauioribus licet illis, & inſtituto meo propioribus, hoc eſt, Theologicis, riuulorum meorum indicio fontes antiquos ſuper cœlorũ animatu inueſtigo, reuiſo, conſulo. Conſultatione quibus propoſita, & cum eis vltro citróque habita, collectus eſt mihi hic libellus, ſed tempore valde alieno & perdifficili, vt quo toto morbus me afflixit, quo alius nunquam vel diuturnius, vel grauius, vel inquietius, remiſsior licet cum tẽpore factus, ſed iam adeô familiaris ac domeſticus, ac proinde ita tenax & pertinax, vt vix ac ne vix quidem aliud, quàm iuxta Sapientis hebræi ſen-
*Eccle.* 10. tentiam, medicum grauet, quantò ægrotantem magis? Quid me in poſterum fiet, aut futurum ſit, neſcio, Deus ſcit, cui laus, honor, & gratiarum actio, per cuius ita me viſitantis, ſed multò quàm pro peccatis meis leuius, miſericordiam, inimico ita me colaphizanti, non tãtùm licuit, vt me omni ſtudiolorum meorum fructu fruſtraretur, quin aliqua interim non modò lectione, ſed & ſcriptione (nam hactenus mea dictare non aſſueui) tum me conſolarer, tum etiã corpuſculi incommoda vtcũque leuarem. Det idem dominus in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, vt etiam



etiam aliquando tandem exuperem. In hoc porro argumento, & ſimilibus, lectorem monitum velim, ſic philoſophari, vt ne, quod Paulus monuit, per philoſophiam decipiatur, & ita *Coloſſ.* 2.
profana legat, vt à profanis ſibi caueat. Theo- 2. *Tim.* 2.
logiam omnium diſciplinarum eſſe reginam agnoſcat, Philoſophiã & reliquas veteres illius amicas, & elegantes, vtiles, ac officioſas ancillas, famulas, ac pediſſequas, ſine quibus illa vel minus fœliciter, vel omnino non diſcatur, ac ſic neque doceatur. Seculariũ, inquit Hiero- *Ad Demetriadem.*
nymus, literarum rudes, ſi quid de autoribus diſertis legerint, verboſitatem ſolam diſcunt abſque ſcripturarum notitia, quas interim docent, non intelligunt. Ita Philo, tantus ex Iſraëlita Platonicus, libro peculiari de congreſſu quærendæ eruditionis gratia, allegoria ſanequam appoſitâ docet, Abrahæ exemplo, qui de Sara prolem non potuit ſuſcipere, niſi *Gene.* 16.
antè cum Agar ancilla ægyptia congreſſus, ſic *Abrahã.*
animam noſtram ad bonorum operum ſobo- *Sara.*
lem ex diuina nimirum ſapientia ſuſcipiendam *Agar.*
minus eſſe idoneam, niſi prius cum eius famula, ſeculari literatura congreſſam. Qui enim *Lib.* 2. *legis Allegariarũ.*
meditatur in virtute perfecta domicilium habere, priuſquam inter ciues eius aſcribatur, inquilinum agit (quod vox Agar ſignificat) in diſciplinis Encyclicis, vt his adiutus, ad perfectam virtutem ſinatur euadere. Ingredere, *Encyclicæ diſciplinæ.*
inquit illa, ad ancillã meam, mediarum Ency-

clicarum artium diſciplinam mediam,vt prius ex ea filios ſuſcipias,poſt hac etiam ex conſuetudine cũm domina legitimos geniturus. Nam Grãmatica hiſtorias & poëmata docẽdo, præter multiplicem rerum notitiam, efficiet vt contemnas figmenta vanarum opinionum,ſpectãs percelebres illas heroum & ſemideorum miſerias. Muſica ex rhythmis & harmonia ad concinnitatẽ reducet inconcinna. Geometria inditis æqualitatis & proportionum ſeminibus in ſtudioſam animam inſeret amorem iuſtitiæ. Rhetorica mentem acuens & linguam exercẽs rationalem verè faciet hominem, id nimirũ, quod illi proprium eximiũmque à natura donatum eſt,curans. Dialectica eius germana gemellãque, falſos ſermones à veris diſcernẽs, & ſophiſmata redarguens, magnum animæ morbum,deceptionem,ſanabit. In his & ſimilibus præexercitari profuerit, fortaſsis enim & nobis contingere, quod multis contingit, vt per famulas in reginarum virtutum familiaritatem nos inſinuemus. Itaque ſicut ſe habet hera ad ancillam, matrona ad concubinam, ita virtus Sara ad diſciplinam Agar. Iure Igitur Abrahamo contemplationi dedito virtus Sara pro vxore fuerit, Agar verò, id eſt,vniuerſa Encyclopædia, pro pellice. Ergo qui prudentiam diſcit à præceptoribus, Agarem non deiiciet. Eſt enim valde neceſſaria primarum diſciplinarum poſſeſsio. Hæc ille. Sed quid ſi quando, vt fa-

*Grammatica.* *Muſica.* *Geometria.* *Rhetorica.* *Dialectica.* *Encyclopædia.*



vt facilè ac ferè fit, offenſa interim interuenerit? Quid niſi vt Sara Agarem ancillam dominã ſe faſtidientem & deſpectui habentem afflixit,perſecuta eſt,domo exegit, ſic princeps (hoc enim Saraï interpretatur, vel principatus meus) Theologia Philoſophiam, ſiquando inflat, & ſe putat,aut etiam iactat, aliquid, ne dicam omnia,ſcire,cùm nondum cognorit,quẽadmodum eam ſcire oporteat, & perſuaſoria humanæ ſapientiæ verba,errantia,& in errorẽ mittẽtia,caſtiget,corrigat, & excludat? Quidni? Nam & lex pædagogus noſter in Chriſto, & ad Chriſtum fuit, & legem tamen quà imperfectam,& nihil ad perfectum ſeu ad perfectionem adducentem, perfecit Dominus & abſoluit, & peruerſum à Phariſæis inductum ei ſenſum reformauit, audiſtis, inquiens, quia dictum eſt antiquis &c. Ego autem dico vobis. Quidni verò & philoſophiam ſuo eſſe modo pædagogam dicamus, hoc eſt, ducem ac præuiam ad Theologiam? Dicamus verò, & verè quidem. Talis enim fuit (ſiquis neſcit) prima in hac vrbe Galliarum noſtratium primaria Euangelica doctrina, per Dionyſium illum ex philoſopho Platonico Pauli diſcipulũ,ex Areopagita primum Pariſiorum apoſtolum & paſtorem prædicata. Qui indignantibus ſibi Philoſophis, cùm aliis, tum Apollophani chariſſimo quondam amico & populari ſuo,ſed religione,hoc eſt,ſuperſtitione, græco, quòd pa-

*Sarai.* *1. Cor. 8.* *1. Cor. 2.* *2. Tim. 3.* *Gala. 3.* *Heb. 7. 9 10.* *Matth. 5.* *Act. 17.* *S. Dionyſius.* *Epiſt. 7. ad S. Polycarpũ.* *Suidas citat.* *Apollophanes.*

trios ritus deſeruiſſet,& auerſaretur, Chriſtianam eis fidem præferens,& acerrimè quam ſemel erat amplexus,propugnans,& hoc ei nomine, quaſi parricidæ conuitiantibus, quòd Græcorum armis & dogmatis & rationibus contra Græcos vteretur,Reſpōdet id ſe verius dicturum & retorturum aduerſus Græcos cum alios,tum hunc ſophiſtam potius quàm philoſophum,diuinis vtique cōtra diuina irreligioſe abutentem, & nefarie per Sapientiam
*Rom.1.* Dei Deum non glorificantem,ſed diuinæ religionis cultum euertere molientem. Qui cùm hanc rerum ſcientiam & cognitionem recte philoſophiam nominet, quæ à Paulo mundi
*1.Cor.1.2* huius aut humana ſapientia vocatur, oportuit cōtrà Philoſophos veros ex hoc operum creaturarúmque velut ſpeculo,ad autoris rerum & opificis notionē, hoc eſt, ad veram & legitimā demum philoſophiā manuduci,aſcendere,ſurrigi,ſubuehi &c.Ducit igitur ad Theologiam philoſophia, minimè vero perducit. Inchoat quidem iter,quantùm verò,bone Deus, abeſt vt perducat? Quin toto potius cœlo, quod aiunt,totáque terra ſæpe aberrat, ſemper licet
*2.Tim.3.* diſcens, ſed nunquam ad veritatis peruentura notitiā, niſi aberrantē & ad ſexcēta iam diuerticula à dextris & à ſiniſtris diuertentem,Theologia,hoc eſt, Dei ſermo ipſius nuntius reſpiciat,inque viam regiam reflectat ac reducat.
*Lib. de* Viden' Agar,ait Philo,hoc eſt, liberalem eruditionem,

*Somniis.*



ditionem, Angelo dicentem, Tu es ille Deus qui reſpexit me? Non enim erat alioqui idonea videre illum antiquiſſimum rerum autorem mulier nimirum generis Ægyptij. Superbientem igitur ancillā & infatuatā,cordata caſtiget quidem mater familias, & familia etiā interim exigit, ſed cum ea in gratiā reditura, eámque reducem obedientiæ ſibi ab ea præſtādæ ſecura,exceptura. Sic enim Agarę Angelus Domini, Reuertere, inquit, ad dominam tuam,& humiliare ſub manu illius, ſubdito te illi ac ſummittito. Nec vlli tamē ſeculo, etiā poſt Chriſti Euangelium orbe toto promulgatum, atque adeò vbi id erat receptum, ibi nunquam, inquam, defuerūt homines, Agaræ quàm Saræ, ancillæ quàm heræ, Philoſophiæ & literaturæ ſecularis quàm Euāgelicę magis ſtudioſi. Nam vt miſſos faciam veteres hæreticos, quorum poſt Tertulianū Hieronymus patriarchas vocat Philoſophos, hos illis ingenia ſubminiſtraſſe, de horum ingeniis omnē hæreſim animatam fuiſſe, & Eccleſiæ puritatem peruerſa maculauiſſe doctrina. Omnia denique illorum dogmata frigeant licet, & attelabi ſeu locuſtæ inſtar volare non poſſint, ſedē ſibi & requiem inter philoſophorū ſpineta reperiſſe,& de horū fontibus illos argumētationum ſuarū riuulos traxiſſe,vt veteres,inquam,omittamus hæreticos & hæreſiarchas,& noſtra pauliſper vineta cædamus, vel ex ſcholaſticis & articulis

*Tertulli. lib. De anima. contra Hermogenē. lib. 1. & 4. contra Marcionem. Hiero. cōtra Luciferian. & Pelagia. Et Nab. 3 Tritem. i Abælard.*

Pariſienſibus vulgo dictis liquere poteſt, quàm abſurda, curioſa, & impia ante annos plus minus trecentos, in hoc alioqui Chriſtianiſſimo Regno, in hac catholiciſſima omnium quæ ſub cœlo ſunt, academia, ſererentur, & quidem de rebus omnium multò grauiſſimis, de Deo, nimirum, Angelo, Anima, mundo, Cœlo, & ſtellis, de Scriptura, fide, Sacramentis & moribus, vitiis & virtutibus. Quæ horum ſpermologi excuſarent tueri ſe ſecundum Philoſophiam, non Theologiam. Sed quomodo ſolum Atticum mel olim optimum ferebat & idem Conium necatu ocyſſimum, homines optimos & idem peſſimos. Sic Athenæ noſtræ, noſtra, dico, Lutetia, mala hæc & venefica ſemina apud ſe nata remediis & pharmacis domi ei naſcentibus, ſalutaribus vtique diſciplinis mox ſanauit & ſuppreſſit, non ceſſantibus haud dubiè, neque ſui tãto in diſcrimine oblitis, epiſcopis, cancellariis, Theologis noſtratibus, vt conſtat ex huiuſmodi errorum collectaneis. Neque tamen vel ſic Agar, ſeu mulier, hoc eſt, humana ratio, vetita licet in Eccleſia loqui, in ſilentio didicit, quin & in Eccleſia non loqueretur modò, ſed & in virum dominaretur, ſic vt non rarò, non in ſcholis tantùm, ſed in templis quoque ſæpius audiretur philoſophus quàm Apoſtolus, Cùm ergo pergeret Agar in Saram inſurgere, hoc eſt, temere philoſophari, & curioſa ſectari, aſſerere, ac docere, ſaltem, vt dicebãt, ſecun-

*Plutarc. in Dione.*

*Mulier. ratio humana.*

*1. Cor. 14*

*1. Tim. 2.*



ſecundum philoſophiam, hanc diſtinctionem Synodus Lateranenſis nihil morata, contrà definiuit. Cùm verum vero minimè contradicat, omnem aſſertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, prorſus eſſe falſam, & aliter dogmatizare interminata, præcepit etiam philoſophiæ vbique profeſſoribus, Philoſophorum, vbi à recta fide deuiant, loca auditoribus ſuis explicare, argumenta (cùm ſolubilia ſint omnia) reſoluere, & Chriſtianæ religionis ſuper iis veritatem indicare, docere, ac pro viribus perſuadere: Semper vtique memores ex Pauli doctrina, omnem intellectum Chriſto in captiuitatem redigere, omnem in autoribus externis, quæ contra veram eius notionem inſurgeret, munitionẽ deſtruere, arcem deturbare, conſilium euertere, ſublimitatem & ſuperbiã deprimere, contumaciam vlciſci, omnem denique inobediẽtiã in Dei atque Domini noſtri Ieſu Chriſti obedientiam & obſequiũ redigere. Neue Agar ſemper in ſolitudine verſaretur, atque aberraret, quaſi nũquam ad herilem domum reuerſura. Quomodo ferunt Nazianzenum illum ex rhetore tantum pòſt theologum, vt & id cognominis obtinuerit, Baſilium collegam & amicum ſuum ſingularem, diutius æquo rhetoricam profitentem, manu velut iniecta à diſſerendi cathedra deturbaſſe, & cõmuni ambos conſilio & aſſenſu ab inferioribus diſciplinis ad altiores. A Gentiliũ libris, ad

*Anno 1513. Articulo 8. ſub Leone X.*

*2. Cor. 10*

*Gregor. Nazianzen. ĩ ſunere Baſilij.*

*Nicepho. lib. 10. cap. 26.*

*Ruffin. lib. 2. Eccle. Hiſtor. ca. 9*

*Crinitus lib. 7. capi. 1. de honeſta. diſciplina.*

propheticos & apoſtolicos ſeſe contuliſſe, ſic diuina veritatis arcana Epiſcopos poſtea factos gregi Dominico recluſuros. Ita eadem Synodus ſtudẽtes, in ſacris præſertim ordinibus cõſtitutos, quinquennio in artibus liberalibus exacto, ad has, ſiquidem diuturniores fuerint, quod apud Platonem diſputat Callicles, hominum verius corruptelas quàm diſciplinas, ad hos ſirenios ſcopulos noluit conſeneſcere, ſine aliquo vel Theologiæ, vel Iuris ſtudio, ſed alterutri ſimul ac ſeorſum operam nauare, vt in his ſanctis profeſſionibus Domini ſacerdotes inueniant, vnde ſæpius infectas cùm Philoſophiæ, tum poëſis pręſertim radices purgare valeant ac ſanare. Hæc Synodus. Antequam extabat de tempore ſtudij in ſingulis huius Academiæ, vt recepto vocabulo vtar, facultatibus conſtitutio Chriſtianiſſimi Regis noſtri Ludouici XII. ſanè vtráque ſanctio & Pontificia & Regia nõ minus Philoſophiæ quàm Theologiæ conueniens. Nam & Plato, ſub perſona licet veræ Philoſophiæ ignara, cum ſenſu tamen intelligentiæque communis fide, in deſides iſtos & ignauos, qui obtentu Philoſophici nominis inutile ſequuntur otium, rectè monebat, vt ne quis moderatè per ætatem Philoſophatus, vltra ætatem Philoſophetur, ſic vt legum, ſermonum, affectuum, morúmque, quibus in hominum cœtu tam publicè, quàm priuatim vti conuenit, prorſus inſolens & ignarus,

*In Gorgia. Gell. lib.* 10. *cap.* 22.

*Anno* 1499. *May* 12.



rus, ſiquando in vllam rem priuatã publicámve gerendam inciderit, ineptus habeatur & ridiculus, ſed potius cum Philoſophia ſic reliqua ſtudia coniungat, vt publicis ſimul & priuatis officiis rempublicam peritè ſi non adminiſtret, pro ſuo certè ſtatu & inſtituto adiuuet. Et vt cœptã ſemel de Sara & Agara allegoriã in rem hãc abſoluamus. Dedit Abraham, ait Moyſes filio ſuo Iſaac omnia bona ſua, nihil aliis ex vna & altera ſecundaria vxorcula reliquum faciens, quibus vt paruis parua bona dat: Nam bona eius, perfectæ ſcilicet virtutes, ſolius legitimi perfectíque filij poſſeſſio ſunt, medij generis officia vel imperfectis conueniunt, vt ad liberales vſque diſciplinas progreſſis, quæ ad Agar & Cheturam pertinent: quarum illa inquilinam, hæc ſuffitum ſignificat. Nam qui ſoli Encyclopediæ dat operam, inquilinus eſt, non ciuis ſapientiæ, tanquam ſuaueolentiam quandam aſpirans animæ per hanc contemplationem. Atqui cibis non odoribus ei ad ſanitatẽ opus eſt, & præpoſitorum maior quàm ſubiectorum ſemper habenda ratio, & indigenarum ſciẽtiarum potius quàm inquilinarum. Quod ſi vſque proficiens ad finem, ad ſuperiores, inquam, diſciplinas ab inferioribus perueneris, potieris bonis ſimul omnibus, ſic vt vniuerſam ſuam ſubſtantiam cœleſtis Pater tibi largiatur. Amẽ. Fiat. Et allegoriæ enim & præfationis, ne hic libellus in caput excreſcat, ha-

*Gene.* 25.

*Philo. lib. de ſacrificiis Abelis & Caini.*

*Chetura.*

*Encyclopædia.*

ctenus ſatis, fortè etiam nimium. Sed olim iam nō potuerunt nō mihi ſtomachū facere homines maleferiati, ſiqui ſic in Philoſophia conſeneſcunt, vt nihil ad vitam neque tuendam neque ordinandam promoueant, inerti ita inanique deſidia cultum & ſtudium Philoſophiæ G mentientes, quos ideo facultatis artium protonotarios vocant, nomine ſane tam ridiculo, & illis digno, quam iidem indigni ſunt vere præclara Artium facultate. Quoſq;, verius dixeris litium inſtitores & formularios, ſacerdotiorū aucupes, & vſus forenſis, quàm bonarum artiū, quo ſe nomine venditant, peritiores. Sed iam manum de tabula. Veniamus ad propoſitum, ſuſceptúmque nobis de cœlorum animatione argumētum, & ſcrutemur quid hic Agar, quid Sara ſenſerit. Quid non externi tantum Philoſophi, ſed & domeſtici fidei Theologi ſcripſerint. Et quoniam vtrinque alij aiunt, alij negant, alij dubitant, ne ſcrutantes res tam abſcōditas omnino defeciſſe ſcrutinio videamur, *Pſal. 63.* ſecundum menſuram ac pro modulo gratiæ nobis donatæ Thema reſoluamus. Opto te interim, chariſſime lector ſemper bene valere, & mei apud Dominum meminiſſe. Lutetiæ in ædibus noſtris Rhemæis. Menſe Iunio 1571.

Tuus ex animo CLAVD. ESPENC.

# ERRATA PLVRA QVAM

PROTAM BREVI LIBELLO, SED ALIter ſcilicet nō ſit hîc liber, neſcio an vſquam alibi inſigniora occurrent hæc.

Pag. 3. ſatientes, pro facientes.
8. vitiis, vitij.
9. indicarunt, iudicarunt.
13. vitam, vitem.
16. ſtanter, ſtantes. prædictum, præditum.
28. Chiſtum, Chriſtum.
36. Chriſtun, Chriſtum.
44. quid, quidem. quidam, quidem. metorem, motorem.
57. honeſtetum, honeſtatum.
95. animos, amnes.
102. Angeli, Angelos.
105. tolle è margine, paleſtra, diſcus.
108. ad marginē, Tertulliani, Tertullianus.
113. diſtribuntur, diſtribuuntur.
122. ad marginem, de priorbi, de priorib.
123. Plutonici, Platonici.
125. Platone, Platoni.

quod aduerſum huiuſmodi animas non ipſe
*Sap.5.* Deus per ſe vltionem profert, ſed vniuerſa eius
inſurgit creatura, & pœnas de impiis ſumit, &
*Matth.5.* quanuis in pręſenti ſeculo Dei bonitas æquali-
*Luc.6.* ter piis & impiis mundi lucem ac terræ miniſte-
ria largiatur, non abſque tamen dolore ſui lu-
cem ſol impiis præbet, cæteráque elementa ex-
hibent ſeruitutem. Denique interdum etiam
contra bonitatem conditoris, fatigata ſceleri-
bus impiorum vincuntur. Vnde lues, fames, in-
cendia, frigora, & mõtis facies diuerſa percur-
rit, feſtinat enim creatura in impios vindictam
mouere. Hęc S. Petrus. Ex quo audis nõ cœlos
tantùm, ſed & elementa ſenſum habere, hono-
ri diuino adgaudere, eíque detrahentibus of-
fendi, ægrè miniſtrare, contra eos inſurgere, &
ad vltionem feſtinare, ſed quo ſenſu, opinor ac
*Pſal.95.* tropo, coram Domino letari cœlos, exultare
*97.* terram, ligna ſyluarum & montes, commoueri
mare, flumina manu plaudere à conſpectu Do-
*Sap.5. 16* mini iudicare orbem venientis. Armari è con-
trario vniuerſam creaturam ad vltionem ini-
micorum illius, factori ſuo eiúſque præceptis
deſeruientem exardeſcere in tormentum ad-
*Rom.8.* uerſus iniuſtos. Quo denique & apud coapo-
ſtolum Petri Paulum, expectatio creaturæ re-
uelationem filiorum Dei expectat. Quo crea-
tura vanitati ſubiecta eſt, non volens, ſed pro-
pter eum, qui ſubiecit eam in ſpe, & liberabitur
ipſa à ſeruitute corruptionis in libertatem glo-



riæ filiorum Dei, Omnis interea ingemiſcẽs, &
nobiſcum parturiens, ad hoc vſque tempus, ex-
pectans redemptionem corporis humani. Et in
hunc enim Apoſtoli locum collimans Orige-
nes præcipuè quidem, nec is tamen ſolus, nec
ſine admiratione, ac quodam velut ſtupore, ec-
quo, exclamat, modo, poſſum res tam recondi-
tas in publicum efferre? Vnde mihi vt expone-
re valeam? huius igitur loci occaſione, non eo *Homil.*
tantùm loco, ſed & alias non ſemel, ſcripſit om- *28. in*
nem creaturam, nedum cœlos, neſcio quem di *Numer.*
lectionis affectum nobis exhibere, pro noſtris
dolere doloribus, pro gemitibus gemere, ſed &
ſine dubio pręclarius aliquid ac ſublimius ope-
riri, Adeóque non ſolum hominem, ſed & vni- *Homil. 4*
uerſam cõditionem iudicandã, eſſe enim crea- *in Ezec.*
turæ partem terram, cœlum, cęteráque ſub cœ- *14. terra*
lo, & ſuper cœlos. Quis ſcit etiam de terra, an *cum pec-*
iuxta naturã ſuam alicui peccato teneatur ob- *cauerit*
noxia? Si enim animal eſt, ſi rationalis eſt, & in- *mihi &c.*
diget auditione ſermonis Prophetici. Attende *Deut. 32.*
cœlum, Audi terra &c. cur non vt homines, & *Eſa.1.*
Angeli, alij quidem iuſſa fatientes, alij non im-
plentes, Dei præſtolãtur iudicium, cur, ait, non
& terræ & aëris futurum etiam iudicium? Legi- *Gene.3.*
mus enim terram Dei voce & benedictam, &
maledictam, hanc matrem noſtram nos ſuſti-
nentẽ puto ſuper inſidentibus ſibi filiis & bo-
nis lætari, & malis dolere, capacem iuxta par-
tium qualitates, bonorum actuum & malorũ,

*Matt.24.* quibus aut laudem mereatur, aut pœnam. Cur *Marc.13.* cœlum prætergreditur, cur terra pertranſit, *Luc.22.* niſi quia tranſitus ſui quædam digna fecerunt? Terram quoque incolis plenam gaudere, vacuam merere. Peccatricem denique terram aliud eſſe, aliud hominem, nec pro habitatoribus ſuis hic nominari. Vt matris pœna eſt, vel exulantem filiis priuari, vel filios alio ad exilium videre deſtinatos. Ita quodam modo matrem verè noſtram pro peccatis ſuis flagellari fame, vel hominum pecorumue vaſtitate, clamare contrà cùm lætitia in aduentu Domini cernentem ſe filij Dei ſuſtentatu dignam. Et in Celſum philoſophum calumnian- *Lib.5.& 8.* tem Iudæos & Chriſtianos cœlum pro Deo colere, non verò nobiliſſimas & potentiſſimas cœli partes, Solem, Lunam, & aſtra cætera, *Fortè.* Reſpondet hæc licet fortè animantia quædam Rationabilia, & ſolertiora, ſcientiæque lumine per æternam Sapientiam illuſtrata, miris creatorem laudibus efferentia, eiuſque legem obſeruantia, eorúmque ſyderum lucem non ſenſibilem modò, ſed & intellectualem, ex libero quodam eorumdem arbitrio prodeuntem, vt pulcherrimum quidem Dei opus, nos magnifacere & laudare, cultu tamen digna *Cœli ſupplices, non ſupplicādi.* non ducere, quin potius perſuaſos eadem vnigeniti interuentu Deo rerum præſidi ſupplicare, nos iis neque ſupplicare, neque ſupplicandum decernere. In libris verò de Princi-



piis eadem diſputat, & quidem in vtramque *Procœmio lib. 1. & cap. 7.* partem, non diffinit, nec affirmat, vt & pleraque alia. De ſole, inquit, & Luna, & ſtellis, vtrum animantia ſint, an inanima, manifeſtè in Eccleſiaſtica prædicatione non traditur. Et infra nihilo plus aſſeuerat, ſed tantùm inquirit, an ea inter principatus haberi conueniat, quia dicuntur in principatum, ſiue poteſta- *Pſal.135.* tem noctis & diei eſſe facta, an contra ſic ea illuminando officium gerant, vt tamen non ſint de ordine principatuum? Cumque in creaturis nihil non boni, malíque capax ſit, quî hæc inconuertibilia, & contrariorum eſſent incapacia? Iob nanque videtur collocutori- *Iob 25.* bus & amicis reſpondere eſſe ea non peccato tantùm obnoxia, ſed nec ab huius contagione munda, non vtique de talium corporum ſplendore ſentiens, quaſi diceremus veſtimentum minus eſſe mundum. Sic enim ad conditoris iniuriam vergeret, ſi quid in eorum corporibus immundum accuſaretur. Nam ſi corpus nec per induſtriam lucidius, nec per deſidiam minus purum ſibi aſſumere non potuerunt, cur quaſi vel vt non munda culpabuntur, vel vt munda laudabuntur? &c. Quod enim animantia ſint, & quidem rationabilia, deſignari videtur, quia mandata dicuntur à Deo accipere, quod vtique niſi rationalibus non conuenit, vt ſuo ſcilicet vnumquodque ordine currat, & ſplendeat aſtrum.

Neque verò vel motus ſiue anima effici, vel anima ſine motu eſſe poteſt. Cùm igitur tali moueantur & ordine, & ratione, vt in eorum nullo curſus aliquando viſus ſit impediri, quomodo non vltra omnem ſtoliditatem, tantum ordinem, talem rationis atque diſciplinæ obſeruationem, dicere ab irrationalibus vel exigi, vel expleri? Et apud prophetam

*Hiere.* 7. 44. ſanè etiam cœli Regina Luna eſſe memoratur. Quod ſi animatæ ſunt ſtellæ, & rationales, ſine

*Luna regina cœli.* dubio videbitur aliquis inter eas eſſe & profectus, & defectus ſeu deceſſus: Ex comparatione item animæ humanæ, vt inferioris, ſuſpicatur idem cœleſtia non cum corporibus

*Gene.* 1. pariter fuiſſe facta, aut animata, Cùm ſcilicet fecit Deus duo luminaria magna, ſed factis iam corporibus extrinſecus inſertos eſſe ſpiritus, Vanitatem quoque cui ſubiecta ſunt talia, idem arbitratur, aſtrorum eſſe corpus, æthereum quidem illud, ſed materiale. Vniuerſam enim naturam corpoream, velut one-

*Eccle.* 1. roſam, & quæ Spiritus vigorem retardet, vanitatem Salomon appellat, illuminandi quoque officium humano generi exhibendũ, non cœleſtium ſuſceptum voluntate, ſed vt volebat qui ſubiiciebat, eis deputatum, ab eo dem his qui non voluntate ſubdebantur, promittente, quod expleto magnifici operis miniſterio, liberabuntur ab hac ſeruitute, tempore redemptionis gloriæ filiorum aduenien-



te, qua ſpe accepta, quámque promiſſionem complendam patienter ſperans, vniuerſa interim creatura, pro eo affectu, quem erga eos, quibus miniſtrat, habet, nunc congemiſcit atque condolet. Ita vt eis illa Pauli vox, Cu- *Phil.* 1.

pio diſſolui & cæt. aptari fortè poſſit, & Sol, Luna, ſtellæ, dicere, Optarem reſolui, & redire, & eſſe cum Chriſto: multo enim melius. Permanere autẽ puto in hoc cœleſti & lucido corpore, magis neceſſarium, propter reuelationem filiorum Dei. Creaturæ autem quam ea ſperat, & per patientiam expectat, libertas, & à ſeruitute, cui non volens, ſubiecta eſt, abſolutio, quænam eſt? Cùm tradiderit Chri- *1. Cor.* 15.

ſtus Regnum Deo & Patri, tunc iſta quoque animãtia, Chriſti prius Regnum effecta, ſimul cum omni regno etiam Patri regenda (vel potius regnanda) tradentur, vt cùm Deus erit in omnibus, ſint autem iſta & ex omnibus, ſit & in iſtis, vt in omnibus, Deus. Et ad id, In *Ioan.* 1.

principio erat verbum, Primogenitus omnis creaturæ, propter maximum honorem quem homini tribuit, homo quidem factus eſt, non tamen animal aliquod eorum quæ in cœlo ſunt, Et, Abſurdum eſt dicere Chriſtum pro humanis tantùm peccatis mortuum eſſe, & non pro aliquo alio, quod præter hominem in peccato fuit, veluti pro ſtellis, cum nec hæ omnino mundæ ſint coram Deo, vt in Iob legimus, & cæt. Etenim ani- *Iob* 25.

mus ſolis in corpore eſt, omníſque creatura
Rom. 8. ingemiſcit, & cætera. quaſi ſolis, aliorúmque
ſyderum animæ, vt & aliæ iuxta eum animæ,
ob earum in cœlis in peccata lapſum, corporibus fuerint alligatæ. Hactenus Origenes, pro
more ſuo in magnis, & ſuper ſe mirabilibus
ambulans, cœlos & ſtellas non rationis tantùm capaces vt Plato, Philo, & cæt. ſed non
minus vitiis quàm virtutis, ac proinde non tantum animæ, ſed & redemptionis ſentiens participes, etiam ſi ferè inquirit, ſuſpicatur, putat, non diffinit, neque aſſeuerat. Imò ſi eius
Lib. 1. ſunt libri, in librum Iob, ſtellas inanimatas
clariſſimè dicit, vbi legimus. Cùm me lau-
Iob 38. darent ſimul aſtra matutina, legit, Cùm fierent ſtellæ, laudauerunt me voce magna Angeli mei, & hymnum dixerunt, & exponit. Si
tunc laudauerunt, quando inanimatæ ſtellæ factæ ſunt, multò magis tunc laudauerunt, quando animatæ ſtellæ factæ ſunt, id eſt, animę ſanctorum ac iuſtorum, & cætera. Et in dialogo
de recta fide, ſolem ſcribit, terram, elementa
reliquaque præter hominem, omnia tanquam
opificis inſtrumenta, Deo neceſſitate naturæ ſeruire, nulla, quod ſic Domino pareant,
vel noſtra laude, vel mercedis, aut melioris conditionis ſpe repoſita, ob hoc quod iuſſa
In Reſpõ- ſponte ſeruent. Pro quibus hac de re Ori-
ſione ad 8. genis ſuſpicionibus & coniecturis, Pamphi-
crimen. lus martyr in Apologia pro eodem. De cœli,



ait, Luminaribus, diuerſa, diuerſi, etiam qui
ſunt in Eccleſiis, opinantur. Alij eſſe animata,
& quidem rationalia, alij irrationalia, alij contrà non anima tãtùm, ſed omni etiam ſenſu carentia, & ſola ſine ſpiritu corpora. Nemo tamẽ
merito alterum eorum qui hæc ita diuerſè ſentiunt, & aduersè, hæreticum dixerit, quia non
ita apertè de his in Apoſtolica prædicatione
traditum eſt. Et Euſebius tamen Pamphili, tantus licet Origenis alioqui præco, fauitor, & ad- Præparation. lib.
mirator, inter Hebræorum, qui inter tot Gentium errores ſoli veram pietatem ſecuti ſunt, 7. cap. 2.
dogmata, & hoc recenſet. Elementa primum
& quæ ab elementis compoſita ſunt, Solem ſimiliter & Lunam, cæteráſque ſtellas, & cœlum
ipſum, non ſolùm non eſſe Deos, ſed animæ
quoque penitus expertia, pia ſanctáque conſideratione indicarunt. Citat in cabaliſticis Archãgelus Burgonouenſis Euſebiũ Pamphilum,
quaſi è cõtrariò Origenicam cœlorum animationem cõfirmet in ſolutionibus Theologicis,
ex quibus plura non addit, ſed & hoc titulo nihil extat inter Euſebiana hactenus edita. Citauerat & huc Euſebium ante eum Picus in He- Lib. 5.
ptaplo, ſed vellem, locum indicaſſet. Tatianus cap. 4.
in oratione cõtra Gentiles. Res omnes creatas
materia participare dum dicit, etiam cœleſtes,
ſed alias aliis antecellere, prout magis minúſue
nobili ſpiritu præditæ ſunt, cauſatur ſpiritum
ineſſe omnibus. Spiritus, ait, ineſt ſtellis, ſpiri- φωςῆρ-

*ci lumi-naribus.* tus in Angelis, ſpiritus in ſtirpibus, & aquis, ſpiritus in hominibus & animalibus, & quamuis vnus ac idem ſit, differentias tamen in ſe habet. Prædixerat autē nos, hoc eſt, Chriſtianos duo ſpirituũ genera agnoſcere, quorum alterũ *Spirituũ duo genera.* anima vocatur, alterũ anima præſtantius, Dei ſcilicet imago & ſimilitudo. Fecit & hîc aliam hæreſim, ſed qui de hac illũ arguerit, noui neminem. Et neſcio quis Theodotus ad calcem operum Gręcorum Clementis Alexandrini in epitome doctrinę Orientalis. Corpora, inquit, cœleſtia ſiue ſupercœleſtia, ἐπουράνια, εὔμορφα καὶ νοερὰ οἶδεν ὁ ἀπόστολος elegāti forma & mēte prædita nouit Apoſtolus, citaſſet & hîc, quiſquis eſt, Apoſtoli locũ, nec enim vſquam occurrit. Contrà cum alij, tum D. in primis Ba- *Hexameron homi. 6.* ſilius, hoc dilemmate colligit ſtellas non eſſe maleficas. Si enim natura eis malum competit, creator erit effector malignitatis. Sin improbæ voluntate ſua malæque euadunt, Primum animantes rationis erunt participes, abſolutis, imperioſiſque appetitionibus vtētes, quod quidē inanimis tribuere ſummæ cōſtat eſſe demētiæ. *Super Pſal. 48.* Colligit & hinc alibi magnam hominis dignitatem ex Dei in eo imagine, ſic. Quod ea de cauſa, cœlo, ſoli & ſtellis omnibus eſt honore prę-latus, Quod cœlum, ait, quæ Sphæra, Dei imago dicitur? Vel qualem ſol imaginem Dei ſeruat? Quid luna? quid aſtra reliqua? inanimata quidē ſunt ac lucentia tantùm corpora, in quibus nequaquam mens eſt, non voluntarius motus, non arbitrij libertas, ſed inſtantis neceſſitatis ſerua ſunt, per quam motu continuo ſemper circa eadem verſantur, his omnibus homo dignitate præpoſitus, eam non intellexit, &c. Et Ioannes Damaſcenus, ſiue ſenior, ſiue iunior, nihil nunc refert, in hiſtoria duorum *Damaſc. duo.* Chriſti militum, inter mundi mox poſt diluuium in deteriora proficientis impietates ac errores. Alij, inquit, ſeruierunt ſoli & lunæ & ſtellis, quæ poſuit Deus ad lucem præbendam terreno huic mundo, cum inanimata ſint & inſenſibilia prouidentia creatoris illuminata: Et de ortodoxa fide. Nullus, ait, cœlos aut lumi- *Lib. 2. cap. 6.* naria arbitretur animata, inanimata enim ſunt, & inſenſibilia. Quare ſi ſcriptura dicit. Letentur cœli & exultet terra, Angelos, qui ſunt in *Pſal. 95.* cœlo, & homines qui in terra, ad lætitiam vo- *Metonymia.* cat. Per Metonymiam vtique (vt doctiſſimus annotat Scholiaſtes) qua nomen continentis *Clictoue.* plerumque ſumitur pro re contenta. Nouit *Proſopopœia.* item ſcriptura Proſopopœiam, id eſt, perſonarum fictionem vſurpare, & de inanimis, vt de animatis dicere, vt, Mare vidit & fugit. *Pſal. 113.* Quid eſt tibi mare, quod fugiſti? & montes & colles interrogantur ſermones exultationum. Nam vbi Pſalteriũ Gallicum, ſiue quo vtimur in Pſalmodiis noſtris, habet prædicatiuè. Mon- *Pſalteriũ Gallic. et Roman.* tes exultaſtis ſicut arietes, & colles ſicut agni ouium, Romanum profert inquiſitiuè, Montes

quare exultaſtis, &c. vt eadem ſententia paulò antè in tertia perſona aſſertoriè enunciata, ſecundo loco in ſecũda perſona, & quidem concinnius, vt videtur, & aptius, interrogatiuè proponatur. Quod Damaſcenus dixit montes & colles ſermones exultationum interrogari. Sequitur apud eundem. Quemadmodum & dicere conſueuimus, Congregata eſt ciuitas, non ædificia ſignificare volentes, ſed ciuitatis habitatores (hoc exemplum ad Metonymiam pertinet, ſequẽs ad Proſopopœiam) &, Cœli enarrant gloriam Dei: non vocem, quæ ſenſilibus auribus hauriatur emittẽtes: ſed ex propria magnitudine, opificis virtutẽ nobis inſinuantes: quorum pulchritudinem concipientes, factorem, vt optimum artificem admiramur, & glorificamus. Quo & loquendi ſchemate vtens Iob. Nimirum ait, Interroga iumenta, & docebunt te: & volatilia cœli, & indicabunt tibi: Loquere terrę, & reſpondebit tibi, & narrabũt piſces maris. Quis ignorat, quod manus Domini hæc omnia fecerit?) Hæc & huiuſmodi diuina Chryſoſtomus Damaſceno priori æqualis, poſteriore anterior, non ad cœlorum aut ad inferiorum etiam elementorum animas, vt vel Pſeudoclemens, vel Origenes, aut Origenis librorum fortè corruptor, ſed per Proſopopœiam accommodat, Solent enim diuini ſcriptores, vt oratio ſignificantior fiat, rebus inanimis animatas perſonas affingere. Inducunt fluuios,

*Ciuitas ciues, non ædes.*

*Pſal.* 18.

*Sic Ariſtoteles cœlos negauit ſonũ habere: vel certè audiri, vel operari in his inferioribus propter remotionẽ, et. lib. 2. de cœlo cõ. 52 53. Iob* 12

*Sixt. ſentẽ. bibliothecæ ſanctæ. lib. 5 cap.* 242.



vt initio ſtatim diximus, & colles & montes ſubſultantes, non vt hęc animata eſſe putemus, aut cogitationem illis vllam attribuamus, ſed vt intelligamus, quanta ſit propoſitorum bonorum amplitudo, vt quę vel ad ea etiam quæ ſenſu carent, perueniat & pertingat. Idem in rebus item moleſtis faciunt, inducentes & vitam lamentantem, & montes, & tẽpli laquearia eiulantia, vt contrà & hinc malorum grauitatẽ reputemus (obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer, lugebit terra, & infirmabitur: Luxit, & elanguit: cœli item cœlorúmque luminaria mœrebunt, &c.) Iidem contrà cœli, taceant licet, non vlla voce inde emiſſa Deũ laudẽt, Dei tamẽ gloriã enarrant, & magnificant, & opera eius annuntiant, ſed ſui aſpectu, pulchritudine, magnitudine, poſitione, natura, vſu, miniſterio, perſeuerantia, vtilitate, quæ ex eis proficiſcitur, admirabiliter, & quodammodo vocales, nec laudant ſolũm factorem, ſed & nos mortales ſuos ſpectatores ad eadem noſtri & illorum creatoris præconia inuitant & permouent. Vſqueadeo cœli, Luna, Sol, ſtellæ, & vnumquodque eorum quæ facta ſunt, dignũ eſſe factoris ſapientia, & magno vndique plenum miraculo. Omnis ergo creatura non voce, ſed opere laudat, & benedicit Dominum: quia ex creaturis conſequenter creator intelligitur, & in ſingulis operibus ac effectis, Dei magnificentia demon-

*Pſal.* 97. 113.

*Hiere.* 2. 4. 12.

*Eſa.* 33.

*Ioel.* 1.

*Ezec.* 32.

*Pſal.* 18.

*Chryſoſt. in pſalm.* 148. *ſermo. de gratiis agẽdis, homil.* 18. *ad Rom. hom.* 18. *in* 1. *ad Cor. ad Antioch.* 9. 10. 25.

*Danie.* 3.

Prou. 8. ſtratur, ait Hierony. & ſi eius ſunt in Prouerbia
Iob 38. Salomonis, & in lib. Iob Cōmentarij, Viæ, in-
Viæ Domini. quit Domini ſunt opera eius, quorū conſideratione ad fidem vel agnitionē peruenit genus humanū, multíſque ſcripturæ locis laudare Deū cœli & elemēta dicūtur, pro eo quod in illorū diſpoſitione, ac pulchritudine Deus vel ab hominibus, vel ab angelis prędicetur, hic eſt cœli
Cœli concentus. vtique cōcentus. Quid quod & hoc ſenſu non laudare Deū tātùm & benedicere, ſed & orare & exorare cœli & elementa dicuntur. Sic enim apud Prophetā: Et erit in die illa: Exaudiā, di-
Osée 2. cit Dominus, exaudiam cœlos, & illi exaudient terrā, & terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum: & hæc exaudiet Iezrahel, & miſerebor eius, quæ fuit abſque miſericordia, &c. Quaſi
Iſidorus Clarius. diceret, Omnia tunc elementa cupient homini ſeruire, vt is agnoſcat & diligat creatorem ſuū & illorū. Et cœli quidē quodā modo me rogabunt, vt eis vim largiar, qua homini inſeruiant, & terra cœlum, vt deſuper ei fœcūditatem miniſtret, ſed & terrę naſcentia terram ipſam prębuntur, vt pro vtilitate hominis ſinātur in ea creſcere, & ea omnia exaudiātur, hoc eſt parata erunt vt proſint homini, in cuius miniſterium
Iezrael. hęc omnia ſunt creata. Porro per Iezraelem intellige, non Iſraëlem ſecundum carnem, ſed in fide Chriſti congregatum, &c. Sic in carmine Paſchali, ſiue Fortunatus, ſiue Lactantius.

*Qui crucifixus erat, Deus ecce per omnia regnat,*
*Dántque creatori cuncta creata precem.*



*Hinc tibi ſylua comis, plaudit quoque campus ariſtis,*
*Hinc grates tacito palmite vitia agit.*

Sed hæc etiam nota ſunt Grāmaticulis, ne dum magnis Theologis, Et hæc quidem ex Græcis ſatis ſint.

*Latinorum Theologorum teſtimonia.*
*Cap. 11.*

VT & ad Latinos veniamus, Lactantius me- Lib. 2.
rito Stoicos reprehēdit, qui cùm apud ſcri- cap. 5.
ptores alios, tum in Cicerone de natura Stoici.
deorū, videntes aſtrorū motus non eſſe fortui- lib. 2.
tos, reſtare collegerunt vt volūtarij eſſent. Imò verò, ait, vt non eſſe fortuitos manifeſtum eſt, ita nec voluntarios, ſed neceſſarios, quia præſtitutis legibus officíſque deſeruiunt. Alioqui huc paſſim & illud ſine vlla neceſſitate ferrentur, vt animantes in terra, quorum quia liberæ ſunt voluntates, huc atque illuc vagantur, vt libuit: & quo quamque mens duxerit, eo fer-
tur. Ineſſe igitur ſyderibus rationem ad pera- *Mens & ratio cœleſtia mouens, Dei eſt, nō cœlorum.*
gendos meatus ſuos aptam. Sed Dei eſt illa ratio, mens, & cōſilium, qui & fecit & regit omnia, non ipſorum ſyderum, quæ mouentur. At diuinæ poteſtatis in machinandis aſtrorum itineribus, ſolertiam quia Philoſophi non videbant, animalia eſſe ſydera putauerūt, tanquam
pedibus & ſponte, non diuina ratione proce- Cap. 6.
derent. Et paulo poſt Stoicorum de mundo animante argumenta, quod aſtruunt, pariter ea euertere, ita probat. In quo, ait, tam incon-

ſtanter fuerunt, vt nihil dictum ſit ab his, quod non ab iiſdem fuerit euerſum. Sic enim argumentãtur, fieri non poſſe, vt ſenſu careat, quod ſenſibilia generat. Mundus autem generat hominem, ſenſu prædictum, ergo & ipſum ſenſibilem eſſe. Item, ſine ſenſu non eſſe poſſe, cuius pars ſenſum habeat. Igitur quia homo ſenſibilis eſt, etiam mũdo, cuius pars homo eſt, ineſſe ſenſum, &c. Propoſitiones quidẽ verę ſunt, ſed aſſumptiones falſæ, quibus argumenta concludunt, quia neque mundus generat hominem, neque mundi homo pars eſt: Nam hominem à principio Deus, qui & mundum fecit: & non eſt mundi pars homo, ſicut corporis mẽbrum. Poteſt enim mũdus eſſe ſine homine, ſicut vrbs & domus. At qui vt domus vnius hominis habitaculum eſt, & vrbs vnius populi, ſic & mundus domiciliũ totius generis humani, & aliud eſt quod incolitur, aliud quod colit. Sed hi dũ ſtudent, quod falsò ſuſceperant confirmare, & ſenſibilem eſſe mundum & Deum, argumentorum ſuorum conſequentiam non viderunt. Nam ſi mundi pars eſt homo, & ſenſibilis eſt mundus, quia ſentit homo, ergo quia mortalis eſt homo, mortalis ſit mundus neceſſe eſt, nec tantùm mortalis, ſed eniam omnibus morbis & paſſionibus ſubiectus, & è contrariò, Si deus eſt mundus, & partes eius vtique immortales ſunt, ergo & homo Deus eſt, quia pars eſt, vt dicitis, mundi, ſi homo, ergo & iumenta & pecudes

*Homo pars non eſt mũdi.*

*Mundus Stoicis Deus.*



cudes, & cætera genera beſtiarum, auium, piſcium, & res eo perueniet, vt & ranæ, & culices, & formicæ dij eſſe videantur, quia & ſentiunt, & partes mundi ſunt. Ita ſemper argumenta ex falſo petita ineptos & abſurdos exitus habent. Quid quod iidem ipſi aiunt Deorum & hominum cauſa mundum eſſe conſtructũ, quaſi cõmunem domũ? Ergo nec mundus Deus eſt, nec animans: animans enim naſcitur, non conſtruitur. Et ſi eſt ædificatus, ſic vtique tanquam domus, tanquam nauis, eſt ergo aliquis artifex Mundi Deus, & ſeorſum erit mũdus, qui factus eſt, ſeorſum ille qui fecit. Iam illud quàm repugnans & abſurdum. Quod cùm cœleſtes ignes, cæteráque mundi elementa, Deos eſſe affirmant, item ipſum mundum Deum dicunt: quomodo poteſt ex deorũ multorum aceruo vnus Deus confici? Si aſtra dij ſunt, mundus ergo non deus, ſed domicilium deorum eſt. Si verò deus mundus eſt, ergo omnia quæ in eo ſunt, dij non ſunt, ſed dei membra, quę vtique ſolius Dei nomen accipere nõ poſſunt. Nec enim rectè quis dixerit, membra hominis vnius, multos homines eſſe, ſed tamen non eſt ſimilis comparatio animalis & mundi. Animal enim quia ſenſu præditũ eſt, & membra eius habent ſenſum, nec niſi à corpore diuulſa putreſcunt. Cum igitur mundus domus diis & hominibus communis ſimilitudinem gerat, nec ipſe Deus eſt, nec elementa quæ ſunt

partes eius: quia neque domus ſui dominium habere poteſt, neque illa quibus ea conſtat, ſed vt in habitandi vſum facta, per ſe nihil ſentit, dominóque qui eam fecit, aut incolis ſubiecta eſt, ita mūdus per ſe nihil ſentiens, factori Deo ſubiacet, qui eum in vſum ſui fecit. Hæc Lactantius contra Philoſophicam, Stoicam præſertim, cœlorum, ſyderum, elementorū, mundi denique totius tum animationem, tum diuinitatem, exclamans. O quàm difficilis ignorantibus veritas, quàm facilis ſcientibus &c. Quo magis mirū, ſi quod hic vidit Rhetor, nō vidit Epiſcopus Ambroſius, talis vtique ac tantus Theologus, vt qui in hac cœleſtium animatione Origenem, vt alibi ſępè, ſuū planè faciat,

*Epiſt.* 21. eum ad Horontianū ita propemodum de verbo ad verbum vertens. Propone tibi Solem, Lunam, cœli lumina, præclaro quidem nitore fulgentia, creaturas tamen ad quotidianum miniſterium vel ſurgentes, vel occidētes, creatoris diſpoſitioni ſeruientes, ſplendorem quo

*Pſal.* 103 veſtiuntur, miniſtrantes, die noctúque mican-

*Sol cognouit occaſum ſuū.* tes. Quoties Sol obtexitur nubibus, aut terræ obiectum afferentibus è regione luminis ſui radius fuerit repercuſſus. Oriūtur ipſi, ſed vt ait ſcriptura. Luna nouit occaſus ſuos. Nouit quādo pleno orbe ſuo luceat, quando exinanito, ſtellæ nebulis obductæ vaneſcunt, mundani huius vſus miniſterium ſuſtinentes, non ſponte vtique, ſed in ſpe, quia ſperant huius etiam la-



boris gratiam, ab eo qui ſubiecit eas. Ideóque *Sic poëta, Soliſque labores. Æneid. 1.*
propter eum, id eſt, propter eius voluntatem ſuſtinent. Nec mirum, cùm ſciant dominum ſuum, & omnium in cœlo, & in terra, creatorem ſuſcepiſſe noſtri corporis fragilitatem, noſtræ conditionis ſeruitutem, cur ergo ſeruitutem corruptionis ſuæ non patiēter ſuſtineāt, *Cœleſtiū ſeruitus & corruptio.*
cum Dominus omnium pro toto mundo ſe ad mortem vſque humiliauerit? &c. Creatoris ergo bonitatem imitātes creaturæ cœleſtes, licet *Philip.* 2.
ingemiſcant, quod mundi huius vanitati ſubiectæ ſunt, cōſolantur ſe tamen, quod liberabuntur à ſeruitute corruptionis, in libertatem glorię, cum venerit filiorum Dei adoptio, vniuerſorum redemptio. Igitur vt cōcludamus, & ſol ille tātus, atque talis, & luna, quam noctis non operiūt tenebræ, & ſtellę illæ, cœli ornamenta ſeruitutem corruptionis nūc ſuſtinēt, quia cor- *Rom.* 8.
ruptibile omne corpus, ſiquidem & cœli peribunt, & cœlū & terra pręteribit. Poſt autem & ſol, & luna & cætera ſtellarum lumina, requieſcent in gloria filiorum Dei, quando erit Deus omnia in omnibus. Hęc ille prorſus Origenica, & quidē ex ſuperiore Pauli loco. In quem etiā locū ſcribit, elementa cum ſollicitudine operas ſuas exhibere, nec ſolē & lunā ſine labore ſtatuta ſibi ſpatia implere, quotidie oriri & occidere & opera ſua interire videntes, recte dolere, ad corruptionem eos, non ad ęternitatem pertinere, de ſalute noſtra, ſatis quantū datur intelligi, *Pſal.* 101. *Hebr.* 1. *Mat.* 24. *Marci* 13. *Lucæ* 21. 2. *Petri* 3. 1. *Cor.* 15. *Rom.* 8.

ſollicitos, & ſcientes ad liberationẽ ſuam perficere, ſi modò nos citius agnoſcamus auctorẽ, Sed & alibi ſolẽ ſuper Chriſti paſſione ita meditantem, & ſecum loquentem facit. Vtique Iudæi intelligere debuerunt, quia Sol iuſſus ſe recepit & exiuit. Prædixerat Dominus ſe tribus diebus & noctibus futurum in corde terrę. Didicerat hoc Sol, ſeruabat præceptum. Dubitabat ergo dicens. Quid facio? Orior, & dies eſt: Occido, & nox eſt. Si curſum meum ſeruauero, demorabor mũdi ſalutem. Feſtinemus ad redemptionem noſtram. Feſtinare etiam debeo ipſe ad nouam vitam. Erit enim beneficio crucis, qua renouantur vniuerſa, & ſol nouus, & cœlum nouum, Feſtino ergo, vt illum poſſim videre ſolem iuſticiæ, illuminantem animas vniuerſorum, Sed quid faciam? Is vult poſt triduum fieri reſurrectionem. Inueni quid faciam, vt & moras non faciam, & numerũ dierum meorũ cuſtodiam. Non faciam integram diem & noctem. Abbreuiabo horas, vt tribus quidem diebus & noctibus ſit inter mortuos Dominus Ieſus, citius tamen quàm trium dierum & noctium interualla patiuntur, reſurgat à mortuis. Abbreuiabo igitur horas, vbi crucem aſcenderit. A ſexta ſtatim fiat nox, vt videam Domini paſſionem, ſed fugiam paricidalis perſecutionis ſpectaculum. Occidam, & erit nox horarum trium: egrediar, & innouabo diem, vt ſit horarũ trium. Percurſus eſt primus

*De interpellatione lib. 1. ca. 5*

*Mat. 12.*

*Triduũ et trinoctiũ Chriſti.*



dies, ſequetur nox, ſecundo ſpatio ſuo, ſequetur ſimiliter dies. Incipiet nox, tertia reſurget Dominus in nocte, & erit dies in lumine reſurgentis, vt compleatur illud. Et nox ſicut dies illuminabitur. Dies quam vidit Abraham, & gauiſus eſt, de quo & Dauid. Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Cui non miniſterio laboris, ſed fructu exultationis interero. Hactenus Sol apud Ambroſium. Quæ vt per Proſopopœiam dicta excuſari poſſint & exponi, non video idem in ſuperioribus, ſiue ad Pauli literam, ſiue in ſeria ad virum grauem reſponſione dici poſſe, præſertim cùm etiam quo maximè loco, quod hîc fidem ſuam liberare potuerit, alibi tacuerit. De natura, inquiens, & qualitate ſubſtantiæ cœli, quid enumerem quæ Philoſophi diſputarunt. Cum alij compoſitum ex quatuor Elementis aſſerant, alij quintam quandam naturam, ad eius conſtitutionem inducãt, & æthereum illi corpus affingant, cui nec ignis admixtus ſit, nec aër, nec aqua, nec terra: &c. Eo, inquam, loco, de cœli motu & curſu, déque Sphæræ circuitu, & contra talium Philoſophicam ſtabilitatem ac perpetuitatem, tranſitu, adeóque his tandem perituris (ſed renouandis) multa, ſuper horum animatu ne gry quidem. Quid quod ad illud Abrahæ. Leuo manum meam ad Deum, qui fecit cœlum & terram, hoc eſt, inquit, intelligibilem, & vi-

*Pſal. 138.*

*Ioan. 8.*

*Pſal. 117.*

*Proſopopœia.*

*Hexameron lib. 1. cap. 6.*

*Cœlum quintum corpus.*

*Lib. 2. de Abrahã. cap. 8.*

*Gene. 14.*

ſibilem ſubſtantiam. Intelligibilis enim vſia cœlum eſt: Viſibilis vel ſenſibilis ſubſtantia,
*Metonymia.* terra. Niſi fortè & hoc Metonymicos dictum eſt. Vt ibidem paulò pòſt, ad Ezechielis viſio-
*Ezech.* 1. nem, cœlos apertos, & rotas, & animalia in
*Plato.* eis euntia & ſeſe eleuantia. Vnde & Plato currum volucrem dixerit cœlum eſſe, & ad id Da-
*Pſal.* 18. uidis. Cœli enarrant gloriam Dei, hoc eſt, ait, poteſtates cœleſtes. Et ſic quidem Ambroſius, Hieronymum verò magis adhuc mirarer, ſcriptorem Origeni ſubinſenſum, hunc tamen Origeniſmum modo improbare, modo ſuum videri facere. Nam peculiari epiſtola ad
*Epiſt.* 59. Auitum, cuius titulus. Quid cauendum in li-
*cuius initium.* bris περὶ ἀρχῶν, inter impiè dicta, & hoc ſupputat, Solem, Lunam, & Aſtra cætera eſſe
*Ante annos.* animantia. Imò quomodo nos homines ob peccata quædam craſſis atque pigris corporibus circundati ſumus, ſic cœli luminaria talia vel talia accepiſſe corpora, vt plus minúſue luceant, nec ex quo tempore factus eſt mundus, animas eorum eſſe cœpiſſe, ſed antequam lucens illud & ardens corpus intrarent, ex cauſis pręcedentibus inuita compulſa eſſe ſubiici vanitati, ob præmia futurorum: non ſuam facere, ſed creatoris voluntatem, à quo in hæc officia diſtributa ſunt, ſublimiora mundi loca,
*Rom.* 8. ſtellas accepiſſe, quę ab Apoſtolo dicitur creatura vanitati ſubiecta, eo quod craſſis circundata corporibus aſpectui pateat, non ſponte ta-



men ſubiecta vanitati, ſed propter voluntatem eius, qui eam ſubiecit in ſpe. Hæc ibi. Verum quod non ſibi ab hoc dogmate alibi prorſus cauiſſe videatur, iam viderimus. Ad id Salomo *Eccle.* 1.
nis. Gyrans gyrando vadit ſpiritus, ſiue luſtrās vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus, ſic habet, ſiue Solem ipſum ſpiritum nominauit, quod animet, ſpiret, & ardeat, & annuos curſus expleat, ſiue &c. Et ad id Prophetæ. Erit lux ſiue lumen *Eſa.* 30.
Lunæ, ſicut lux Solis ſeptuplum, ſicut lux ſeptem dierum, in die qua alligauerit Dominus vulnus, ſiue ſanauerit contritionem populi ſui, & percuſſuram, ſiue dolorem plagæ eius curauerit. Quando, inquit dederit Dominus cœlum nouum, & terram nouam, & tranſierit ha- *1. Cor.* 7.
bitus mundi huius, vt Luna & Sol laboris ſui præmia cōſequantur. Et enim expectatio crea- *Rom.* 8.
turæ reuelationem filiorum Dei præſtolatur, quia & ipſa liberabitur &c. Licet ea quidam organa lucis intelligentes, inſenſibilia eſſe contendāt. Hoc loco videtur opinionem priorem ſuam facere, poſteriorē velut alienā allegare, at ſuper illud. Audi cœlū, & auribus percipe terra. Quidā, ait, hæc quaſi animātia ad audiendū prouocari putāt, iuxta aliud. Qui reſpicit terrā, *Eſa.* 1.
& facit eam tremere. Cùm hoc poteſtatis Dei ſit, nō terrenę intelligētiæ. Et vtraq; expoſitione ad id. Super hoc cœlū turbabo, ſiue concu- *Pſal.* 103.
tiā, vel hyperbolicos, inquit, hoc accipe, quod *Eſa.* 13.
ab indignatione Dei cœlum triſte ſit, & terra *Hyperbole.*

moueatur, elementa quoque omnia iram creatoris agnoſcant. *Mat. 24.* Cœlum enim & terra tranſibunt, non ſua voluntate & proprio arbitrio, vt plerique exiſtimant, animantia illa eſſe credentes, ſed propter indignationem Domini exercituum. Vnde quod in lxx. dicitur. Cœlum furiet, μετονυμικῶς accipiendum, pro his qui verſantur in cœlo: quomodo ſi dicamus, omnis ciuitas conclamauit: & obuiam iudici vrbs vniuerſa proceſſit. Illúdque quod ſcriptum eſt, dicẽte apud eundem Prophetam Deo. Ego omni militiæ cœlorum mandaui: ſiue omnibus ſtellis præcepi, occaſionem, inquit Hieronymus, quibuſdam tribuit, quod aſtra rationalia ſint, & animam ſenſúmque habeant. Neque enim aiunt, præciperet, niſi intelligentibus: non recordantes ſcriptum. Prçcepit Dominus ſpiritui comburenti, & vermi matutino. Et in Euangelio Saluatorem ventos, & maria increpaſſe. In quibus ſenſum & rationem non eſſe perſpicuum eſt, vtroque loco poſteriore Origenem ſubinnuit. Cuius vbi antè in Ezechielem illud eſt. Aliter de inhabitatoribus, aliter de ea, quæ inhabitatur terra, dicitur, Audi &c. Et cur cœlum prætergreditur, cur terra pertranſit, niſi quia tranſitus ſui quædam digna fecerunt? &c. Quod autem ad id Apoſtoli, & omnia ſubiecit pedibus eius, & ipſum dedit caput ſuper omnia, ita ſcribit, In eo quod ait, omnia, videtur facere quæſtionem.

*Metonymia.* *Ciuitas, ciues.* *Eſa. 45.* *Ionæ 4.* *Mat. 8.* *Marci 4.* *Lucæ 8.* *Epheſ. 1.* *Omnia.*



Nam quod alibi dictum eſt, Inimicos ſub pedibus eius tandem ponendos, non magnopere quærit interpretẽ, vt ea quæ inimica ſunt, cùm fuerint ſuperata, ſubiiciantur pedibus eius, & in victoris tranſeant poteſtatem. Cur autem omnia, id eſt, Angeli, Throni, Dominationes, Poteſtates, & virtutes cæteræ, quæ nunquam fuerunt contrariæ Deo, eius pedibus ſubiiciũtur, videtur obſcurum. Poteſt, ait Hieronymus, itaque reſponderi, quod abſque peccato nullus ſit: & ſydera non ſint munda coram Deo, omníſque creatura paueat creatoris aduentum. Vnde & crux Saluatoris non ea ſolùm quæ in terra: ſed etiam ea quæ in cœlis erant, purgaſſe perhibetur. Quod ex hoc, inquam loco, Ruffinus vitio vertit Hieronymo, quaſi quod ei in alio, ſcilicet Origene, diplicuiſſet, aſtra videlicet, & cœleſtia cætera, rationabilia eſſe, & delicti capacia, ipſe de talibus idem ſenſiſſet, ea non animalia modò, ſed & per Chriſtum purgata, & vt Paulus ait, inſtaurata, reconciliata, & pacificata per ſanguinem crucis, &c. Etiam ſi locum hunc Hieronymus nõ purgarit, vel à ſe non viſum, vel ad eum ab amicis non delatum, non eſt tamẽ quòd eum dicamus idem hîc cum Origene ſenſiſſe, ſed id, vt alia pleraque, ex Origenis ſententia, non verò ex ſua ſcripſiſſe. Nam & in Apologia reſpondet, & in commentarios ad eam Epiſtolam præfatur, ſe Origenis ad eam volumina, vt Didymi

*Pſal. 109.* *1. Cor. 15.* *Iob 25.* *Eph. 1.* *Col. 1.*

& Apollinarij opuſcula, ſiue cõmẽtariolos, vertere, & ex parte ſequi, quia cõmẽtatoris, ait, eſt officium multorum ſententias ponere, etiam Origenis, abſque inuidia tamen nominis eius, explanationem trãſtuliſſe atque poſuiſſe, vt, inquit, ſtudioſus lector in hoc opere facilè agnoſcat, quid alienum, quid noſtrum. Vnde contra Origenicum loci huius ſenſum, ſtatim Eccleſiaſticum ſubiecit, hoc eſt, ſuum ſub alia licet perſona, ita ibidẽ. Alius verò Omnia, non ad vniuerſitatem, ſed ad ea tantùm refert, de quibus diſputatum eſt: vel hoc modo. Omnis ciuitas conclamauit, non quo aliquis tacens in vrbe non fuerit, ſed ex parte maxima, etiam ea quæ minora ſunt, appellantur. Sic idẽ alibi, loco anteà iam allegato. Ad id quoque. Quis enarrabit cœlorũ rationẽ? & concentum cœli quis obdormire faciet? Idẽ ſi modo idem, Sanctos, inquit, Angelos intelligamus, qui pro ipſa habitatione cœli cœlum dicti ſunt. Quis igitur erit ille, qui eos à perpetuis laudib[us] quibus me benedicãt, Sanctus, Sanctus, Sãctus Dominus, inceſſabiliter concinentes, vt ceſſent, & quaſi obdormiant, inhibere poſſit? Hieronymũ ergo mirari deſinamus, qui quid hîc ſentiret: ſatis clarè ſcripſerit. At verò D. Auguſtinus nihil hîc definiiſſe, ſed in neutram partem declinauiſſe videtur. De Geneſi ad literam Solet, ait, quæri, vtrum cœli luminaria conſpicua corpora ſola ſint, an habeãt rectores ſpiritus ſuos:

*Commentatoris officium.* *Omnia.* *Ciuitas.* *Iob* 38. *Eſa.*6. *Lib.*2.*ca. vltimo.*



& ſi habent, an ab eis vitaliter inſpirentur, ſicut animantur carnes per animas animalium, an ſola præſentia ſine permixtione. Quod licet in præſenti facilè non poſſit comprehendi, proceſſu tamen ſcripturarum arbitror opportuniora loca occurrere poſſe, vbi nobis de hac re ſecundum ſanctæ authoritatis literas, & ſi non oſtendere ſcriptum aliquid, tamen credere licebit. Nunc autem ſeruata ſemper moderatione piæ grauitatis, nihil credere de re obſcura temere debemus, ne fortè quod pòſt veritas patefecerit, quãuis libris ſanctis, ſiue teſtamenti veteris, ſiue noui, nullo modo poſſit eſſe aduerſum, tamen propter amorem noſtri erroris oderimus. Hæc ibi. Vbi verò præſtiterit vir alioqui doctiſſimus, ingenioſiſſimus, diligentiſſimus, quòd hîc promittebat, vel ſperabat, mihi non occurrit. Nam & in Enchiridio πλάτονίζειν καὶ φειγενίζειν videtur ita. *Cap.*58. Sed nec illud quidem certum habeo, vtrum ad eandem (Angelorum videlicet) ſocietatem pertineant Sol & Luna, & cuncta Sydera, quãuis nonnullis lucida eſſe corpora, non cum ſenſu vel intelligentia videantur. Et in epilogo de vera Religione. Non ſit nobis religio cultus corporum æthereorum atque cœleſtium, quæ quãuis omnibus cæteris corporibus rectè præponantur, melior tamen ipſis eſt quæcunque vita. Quapropter ſi animata ſunt, melior eſt quæuis anima per ſeipſam, *Cap.*55.

quàm corpus quodlibet animatum, & animam tamen vitioſam nemo colẽdam eſſe cenſuerit.
*Lib.* 14. *cap.*12. Cúmq; ſibi Fauſtus Manichæus argutè reprehendere viſus eſſet, quod maledictum vocat *Deut.* 4. 17. Moyſes, qui Solem adorauerit ac Lunam. Si ergo, inquiens, ſub gentili poſitus rege, Solem cogar adorare, & cum reſtitero maledictum hoc metuens, iubear crucifigi, in aliud eius in- *Deut.*21. curram maledictum, quod aduerſus eum deprompſit, qui pendet in ligno. Reſpõdiſſet autem Auguſtinus ita, Vos quidẽ nullus rex, gentilis cogit adorare Solẽ, quod nec ipſe Sol cogeret, ſi in terra regnaret, quia nec nunc a nobis vult hoc fieri: ſed ſicut creator ipſe impios blaſphematores ſuos vſque ad iudicium ſuſtinet, ſic & ipſa cœleſtia tolerant vanos adoratores ſuos, vſque ad iudicium creatoris ſui, &c. hũc locum non tam retractauit quàm illuſtra- *Lib.*2. *cap.*7. uit ſic. De Sole & Luna talia hoc loco dicta ſunt, tanquam ſentiant, & ideo tolerent vanos adoratores ſuos, quamuis verba ibi accipi poſſint, ab animali ad inanimale tranſlata, modo *Metaphora.* locutionis qui vocatur græcè metaphora, ſicut de mari ſcriptum eſt, quod fremat in vtero matris ſuæ volens progredi: cum vtique voluntatem nõ habeat. Quo tropo & ſenſu idem alibi *Pſal.*103. expoſuit Solem non tãtùm noſſe dominum ſuũ eſſe Chiſtum & creatorem ſuum, ſed & ſi indignari poteſt, acerbius indignari contra falſo ſe honorantem, quàm contra contumelioſum.



Seruo enim bono maior contumelia eſt iniuria Domini, Quanta falſa de luminaribus quidam dicunt, & ferunt hos & tolerant & non mouẽtur? Quare? quia in cœlo ſunt. Quãta de Luna homines mentiuntur, quod malefici illam deponunt, cum certis temporibus deficit, iuxta Dei diſpoſitionẽ? Non curat tamẽ hęc hominũ verba illa quæ in cœlo eſt, &c. Cum item in libris de Muſica ſcripſiſſet. Quod anima in mũdo quęrit, conſtãtiam ſcilicet æternitatémque, non inuenit: quoniam rerum tranſitu completur infima pulchritudo, & quod in illa imitatur conſtantiam, à ſummo Deo per animam traiicitur, &c. hunc idem locum ſic retractat. *Lib.6.ca.* 14.
Si infima pulchritudo in omnibus corporibus intelligitur, nedum in humanis, omniúmque animalium, cogit hæc ſententia etiam ipſum, mundum animal credere, vt etiam in ipſum, quod in illo imitatur cõſtantiã, à ſummo Deo traiiciatur. Sed animal eſſe iſtum modum, ſicut Plato ſentit, aliíq; philoſophi, nec ratione certa indagare potui, nec diuinarum ſcripturarum authoritate perſuaderi poſſe cognoui. Vnde tale aliquid à me dictum, quò id accipi poſſit, temere dictum notaui, nõ quia hoc eſſe falſum confirmo, ſed quia nec verum eſſe comprehẽdo, quod ſit animal mũdus, hoc ſanè inconcuſſe retinendum eſſe non dubito, Deum nobis non eſſe iſtum mundum, ſiue anima eius vlla, ſine nulla ſit. Quia ſi vlla eſt, ille qui eam fecit *Lib.1.cap.* 11. *Mundus animal Platoni & Philoſophis.*

eſt Deus noſter: Si autem nulla eſt, nullorum Deus poteſt iſte eſſe, quantò minus noſter? Eſſe tamē ſpiritalem vitalèmque virtutem, etiam ſi non ſit animal mundus. Quæ virtus in Angelis ſanctis Deo ſeruit, &c. Locus autem quem paulò antè retractatum hîc citat, ſic extat in
*Capi.5. & 15.* libro de immortalitate Animæ. A ſumma eſſentia ſpeciem corpori per animam tribui, qua eſt, inquantum cúmque eſt. Per animam ergo corpus ſubſiſtit, & eo ipſo eſt, quo animatur, ſiue Vniuerſaliter, vt mundus, ſiue particulariter, vt vnumquoque animal intra mundum, &c. hæc in retractationibus, penè poſtremo patris huius ſcripto hac de re reſolutio, ſanæquàm irreſoluta. Nec verò reſolutior fuit, quo maxime loco conueniebat aperte dicere, quid hic ſentiret, Conſulenti enim eum Oroſio ſuper Origenis dogmatibus: & inter Origenica non recta, à duobus ciuibus ſuis, nomine Auitis, vno hieroſolymam, altero Romam pro-
*Rom.8.* profectis, ac dicentibus ab Origeniſtis, creaturam ſubiectam corruptioni non volentem, intellectum eſſe, Solem & Lunam & ſtellas, & hæc non elementarij eſſe fulgoris, ſed rationales poteſtates, præbere autem ſeruitium corruptioni, propter eum qui ſubiecit in ſpe.
*Cap.8.* Reſpondens, Pauli contextum aliter quidem exponit, nimirum de homine, vt in quo, cum nullum ſit creaturæ genus, quod in eo non poſſit agnoſci, ſic omnis creatura congemiſcat &



doleat, reuelationem filiorum Dei expectans: quæ per corporis etiam reſurrectionem, & ſi non in omnibus hominibus, omnis tamen à corruptionis ſeruitute liberabitur, quia & in ſingulis omnis eſt, & ſi quo, ait, alio modo melius poteſt idem locus intelligi. Non tamen ex eidem verbis conſequens eſſe, vt Solem, Lunā, Sydera congemiſcere credamus, donec in fine ſeculi a corruptionis ſeruitute liberemur.
Quod item de libro S. Iob proferre ſolebant *Cap.9.* Origeniani, imò Origenes ipſe, loco antea
citato, ſcriptum. Qui (Deus vtique) luci *Iob 25.* præcipit, & non lucet, nec ſtellæ ſunt mundæ ante eum. Et hinc volebant intelligi rationalem ſpiritum habere ſtellas, & mundas non eſſe à peccato. Reſpondet idem duo, Prius, non pro authoritate diuina hanc, inquit, ſententiam exiſtimo, vt quam non ipſe
Iob ennunciauerit, cui ſingulare quodam- *Iob.1.2.* modo teſtimonium diuinitus perhibetur quod non peccauerit labiis ſuis antè Dominum, ſed vnus ex eius amicis, malorum ipſius conſolatoribus, qui diuina ſententia reprobati ſunt, & ab ipſo ſancto Dei ſeruo meritò culpati, non
quòd nihil veri loqui tales potuerint, ſed quòd *Vt Ioan.8*
non omnia quæ locuti ſunt, vera putanda ſunt. *Samari-*
Vt & in Euangelio, omnia verum quidem eſt *ritanus es*
omnino quod dicta ſunt, nō tamē vera omnia, *dæmoniū*
quoniam multa in Chriſtū Iudæos falſa & im- *habes, &*
pia, eos dixiſſe verax Euāgelij ſcriptura teſta- *cætera.*

tur, quibus fides habenda non eſt. Sic in libro Iob, vbi multæ perſonæ loquuntur, non ſolùm quid dicatur: Sed à quo etiam dicatur, cõſiderandum eſt, ne paſſim quod in eo, aut ſancto libro quolibet ſcripta ſunt, recipientes cogãtur fateri, quod abſit, vera & iuſta fuiſſe, quæ marito ſancto mulier inſipiens ſuggerebat, & cæt.

*Iob 2.*

*Cap.10.* Alterum, loci huius importunam non videri ſententiam, ſi nec Sancti in cœlis Angeli in cõparatione iuſtitiæ Dei iuſti eſſe dicantur, cuius participatione iuſti ſunt, tantumque ſpiritalis luminis habere non poſſunt, quantum habet ille, à quo facti ſunt.

*Angeli Deo comparati, nõ iuſti.*

*Cap.11.* Sed alia, inquit, eſt quæſtio de Syderibus & Sole & Luna, vtrum vel rationis habeant Spiritus in his conſpicuis lucidìſque corporibus: nam corpora eſſe qui dubitat, quid ſit omnino corpus ignorat. Sed neque hæc multum ad nos pertinent, vt ſummo ea ſtudio indagare curemus, vt à ſenſibus noſtris remota, & ab intellectu infirmitatis humanæ, nec in ſcripturis ita poſita, vt nobis eorum ſit mandata cognitio. Imò verò ne precipiti ſuſpitione in fabulas ſacrilegas irruamus, *Eccleſia.3* clamat ſcriptura diuina, Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, &c. vt magis in iſtis temeraria præſumptio, quàm cauta ignoratio culpanda eſſe videatur. Hæc ibi, Solem vbi Lunam & ſydera, congemiſcere quidem, & peccato eſſe obnoxia negat, rationalia eſſe non item negat, apertè ſaltem, Sed reponit

hoc



hoc inter dogmata curioſa, nõ neceſſaria, & in eloquiis diuinis non plenè expoſita. Ne in catalogo quidẽ hæreſeon, huius item inter Origenicas meminit, & quî meminiſſet, cum nec Epiphanius, tantus vtique Origenomaſtix, nec Philaſtrius, quorũ Auguſtinus epitomator eſt, hanc in Origene animaduerterit?

### *Cœlos Deos quidem nõ eſſe, patribus certum: non animatos, non item: & conciliaris reſolutio. Cap. III.*

NAm quod aliquoties in libris de Ciuitate ſuper anima mundi in Platonicos diſputat & inuehitur, nõ tam eos arguit quod cœlos ſimpliciter ponerent animales, quam quod eſſe Deos quoq;, & diuinos & diuinitatis participes, ne animatos quidẽ apertè negat in Porphyrium, ſed hunc ſecum, & cum Platone collidit, & pugnantia conuincit ſcribere, hæc nimirũ, Omne corpus fugiendũ, vt anima poſſit cum Deo beata permanere, & auctore tamen Platone, mũdum, Solem, Lunã, & alia ſydera, animalia eſſe beatiſſima, & cum his corporibus ſempiterna. Quo ergo modo hęc, ait, antequàm ſoluantur corpore, non carebũt beatitudine, ſi eſt, vt anima beata ſit, corpus omne fugiendũ?

*Lib. cap. 7. 23. 10. 29.*

*Platonici cœlos poſuerunt animales.*

*Porphyrius ſecũ pugnat.*

Sic Platonẽ nõ rectè ſenſiſſe rectè ſenſit Euſebius, quòd cœlos non animantes modò & verè mentales, ſed & Deos eſſe viſibiles, maximos, colendiſſimos, perſpicaciſſimos ſcripſerit, ac

*Præparation. lib. 13. cap. 11*

proinde vt Calodemones, ſiue Eudemones &
alios Deos, votis faciendis, aliiſque diuinis ho-
noribus colẽdos conſuleret. Sic Lucilius Stoi-
*Lib. 2. de natura deorum.* cus apud Ciceronẽ, Omnia cœleſtia, quæ mo-
uentur, in Deorum numero, nedum animalia
habenda cenſuit, hanc enim in ſtellis conſtan-
tiam, hanc tantam in variis curſibus, in omni æ-
ternitate tẽporum cõuenientiam non poſſum,
aiebat, intelligere ſine mente, ratione, conſi-
lio. Quæ in Syderibus qui videat, non indoctè
ſolùm, verumetiã impiè faciat, ſi Deos eſſe ne-
*Lib. 2. cap. 5.* get. Nos verò, reſpondet Lactantius, & qui-
dem conſtanter negamus, ac vos Philoſophi,
non ſolùm indoctos & impios, verum etiam
cæcos & ineptos, deliroſque probamus.
Nam & argumentum, quo colligunt, vniuerſa
cœleſtia Deos eſſe, in cõtrarium valet. Si enim
Deos eſſe idcirco opinantur, quia certos &
rationabiles curſus habent, errant, quia vel ex
hoc apparet Deos non eſſe, quod exorbitare il-
lis a præſtitutis itineribus non licet, qui contrà
ſi Dij eſſent, huc atquæ illuc liberè paſſim fer-
rentur, &c. Et concludit, Quod ſi fieri non po-
teſt, vt ſtellæ Dij ſint, ergo nec Sol quidem, ne-
que Luna, quoniam à luminibus aſtrorum ma-
gnitudine, non ratione differũt. Quod ſi hi Dij
non ſunt, ergo nec cœlum quidem, In quo ea
*Cap. 6.* continentur. Simili modo ſi terra quam calca-
mus, &c. Deus non eſt, nec campi quidem ac
montes. Si nec aqua, quæ ſeruit animãtibus ad



vſum bibendi, & lauandi: nec fontes quidem,
nec quæ de his colliguntur flumina: nec quod
his cõſtat, mare: Quod ſi neq; cœlum neq; ter-
ra, neque mare, quæ mundi partes ſunt, dij eſſe
poſſunt, ergo ne mundus quidẽ totus Deus eſt:
quem ſtoici animantem & ſapientem eſſe con-
tendunt, & propterea Deum, &c. Reliqua ſu-
pra petãtur ex eiuſdem contra cœlorũ anima-
tum. Sed cœlos & ſtellas neq; Deos neq; Deas
eſſe, omnibus ſemper in vtraq; lege fidelibus
certo certi⁹ fuit. Nota ſunt illa Moſis, Ne fortè *Deut. 4. 17.*
eleuatis oculis ad cœlũ, videas Solẽ & Lunã, &
omnia aſtra cœli, & errore deceptus adores
ea & colas, ne vir aut mulier vadant & ſeruiant
Diis alienis, & adorent eos, Solem & Lunã, &
omnem militiã cœli. Et, deleuit Ioſias Rex Iu- *Lib. 4. Reg. paſſim cap. 17. 21. 23.*
da ſanctiſſimus eos qui adolebãt incẽſum Soli,
Lunæ, duodecim ſignis, & omni militiæ cœli,
quàm antè adorauerant, & coluerãt reges non
modo Iſraël, ſed & Iuda, Manaſſes præſertim *2. Paral. 33.*
extructis illis in Domini Dei tẽplo altaribus, & *Hier. 7. 19. 44.*
hinc enim vtriuſq; regni excidiũ, quod militiæ
cœli ſacrificauerant, quod reginæ cœli (Lunæ) *Suidas in vocabulo ςερα-πὰ.*
placentas fecerãt, & libamina libauerant, &c.
Quæ planè fuit gentiũ vanitas, hominumque
omniũ, in quibus non erat Dei ſcientia, qui vel
ex his quæ vidẽtur, bonis, non intelligẽtes eum *Sap. 13.*
qui verè eſt, nec ex operib⁹ artificẽ attendẽtes,
aut ignem, aut ventum, ſiue citatum aërem, aut
gyrũ ſtellarum, aut aquam nimiam, aut Solem

& Lunam rectores orbis terrarum Deos putauerunt, ſed quos, ſi eorum ſpecie & pulchritudine delectati, Deos putauerũt, ſcire multò magis debuerant, quantò eis eorum creator, & Dominus, fortior eſt & ſpecioſior, &c. Hęc Sapientia. Quo magis mirum eſt & obſtupeſcendum, nõ craſſos modò Idololatras Paganos, & qui inter eos commixti, didicerunt, vt exprobrauit Dauid, eorum opera, hebræos, ſed & inter Chriſtianos extitiſſe, qui Solem adorarent, Deum eſſe illum, adeóque Chriſtun rati, nempè Manichæi, ſi modò ij Chriſtiani, in quorum hac de re ſomnia, cùm alia Auguſtini argumenta tam multa extent, vt nullius plura, tum illud argutiſſimum, quod libro de duabus animabus ſic collìgit. Verius eſſe quæ intellectu percipiuntur, quam quæ ſenſu, animam igitur, quam illi execrabantur, meliorem eſſe luce iſta, quam venerarentur, ſiue lucem iſtam, quam colendam prædicarent, anima eſſe illa viliorem, quam fugiendam monerent, hìc ſi, ait, fortè turbati à me quærerent, num etiam muſcę animam huic luci pręſtare cenſerem? reſpondere etiam: nec me terreret muſca, quod parua eſt: ſed quod viua, firmaret. Quæritur enim quid illa membra tam exigua vegetet, quid huc atque illuc pro naturali appetitu tantillum corpuſculum ducat, quid currentes pedes in munerum moueat, quid volantis pennulas moderetur ac vibret? Quod qualecunque eſt, bene cõſiderantibus in tam paruo tam magnum eminet, vt cuiuis fulgori præſtringenti oculos præferatur. Certè quod nemo dubitat, quicquid intelligibile eſt, omni ſenſibili, & ob hoc huic etiam luci diuinis legibus antecellit, & cæt. Et alibi, de vera religione. Poſt conſiderationem viſibilium, cœlorum & cœleſtium, elementorum, & elementarium, proximũ eſt attendere, quæ ſit iſta natura vitalis quæ cuncta iſta ſentit, quæ profectò quoniam vitam dat corpori, præſtantior eo ſit neceſſe eſt. Non enim qualiſcunque moles, luce licet iſta præfulgeat, ſi vita careat, magni æſtimanda eſt. Quælibet namque viua ſubſtantia, cuilibet non viuæ lege naturæ præponenda eſt. Hæc Auguſtinus adhuc preſbyter, priore loco nulla cœli, Solis, Lunæ, aut ſtellarum mentione, quanquam ſenſibilis hæc lux non alia ſit quam cœleſtium. poſteriore, velut dubitabundus: Si, ait, vita caret, vt de quorum animis, quàm argutus & acutus erat, quòd ſoluendo magis quàm reſoluendo fuerit, conſtat ex præallegatis aliis eius ſcriptis, parum certè hac in re, vt videtur, reſolutis. Ex quibus & aliorum patrum teſtimoniis non diuerſis tantùm, ſed aduerſis, videri poſſit hoc in Eccleſia annis plus quingentis Problema fuiſſe in vtramque partem diſputatum, donec Vniuerſalis quinta Synodus. Conſtantinopolitana ſecunda, Pontifice Agapeto, & Iuſtiniano

*Pſal.105.* — *Manichæi Solem adorabãt.* — *Cap.2.3.4.5.* — *Muſca quã viua, Sole præſtãtior, nõ ergo viuit Sol.* — *Cap.29.* — *Viuum nõ viuo præſtantius.*

Imperatore circiter annum Domini 540. inter Origenis abſurda dogmata, & hoc improbauit, Cœlum, Solem, Lunam, Stellas, & aquas, quæ ſuprà cœlos ſunt, animatas & rationales quaſdam virtutes eſſe. Et ex ſuperiori problemate anathema fecit hoc, Si quis dicit, Cœlum & Solem, & Lunam, & ſtellas, & aquas quæ ſupra cœlos ſunt, animatas quoſdam eſſe, & materiales virtutes, anathema ſit. Et huius quidem anathematis fides ſit penes Nicephorum.

*Lib. 17. cap. 27. 28.*

*Scholaſtici hîc quoque opinioſi, & ſuper hoc articuli Pariſienſes.* *Cap. IIII.*

NEque tamen ſic nulla lis, opinor quia de hoc in ea Synodo, vt quidem extat in tomo II. conciliorum, nihil tale habetur. Vnde quaſi de hoc cœleſtium animatu, nullũ extaret Eccleſiæ, per concilium, aut ſedem Apoſtolicã, decretum multò poſt V. Synodum, Scholaſtici hoc vtrinque ventilarunt, horum præſertim tantò optimus, quanto Patrum obſeruantiſſimus Thomas Aquinas. Nam in ſumma contra Gentiles, cùm aliquoties meminiſſet huius cœleſtium animationis, eamque ponendam eſſe ſecundum Ariſtotelem & Anicénam, id magis ex eorum contra quos ſcribebat, quàm ex ſua ſententia ſcriptum ita proteſtatur. Hoc autem quod dictum eſt, de cœli animatu, non diximus quaſi aſſerẽdo ſecundũ

*Lib. Cap 1. 13.28. 2 70.90 3. 23.28.*



fidei doctrinã, ad quam nihil pertinet, ſiue ſic, ſiue aliter dicatur: Vnde Auguſtinus & hoc ſub dubio dereliquit. Et cœlum quidem moueri ab aliqua ſubſtantia intellectuali, certum, non differre autem quantum ad hoc, vtrum ab vnita ei & coniuncta moueatur: quæ ſit eius anima, non quidem nutritiua, cum in eo non ſit generatio nec corruptio, ſed neq; ſenſitiua, cum organorum diuerſitatem non habeat, vt quæ eius ſimplicitati repugnet, ergo intellectualis ſit oportet, ſi modo eſt, an à ſeparata, inquàm moueatur, ſiue Deo, ſiue alia ſubſtantia intellectuali creata, & immediatè adeo an mediatè & cæt. nihil, ait, quo ad præſentem intentionem, hoc eſt, cœleſtis motus cauſam refert. Certiſſimum tamen eſſe Deum nullius corporis eſſe formam, nec cœli quidem, aut mundi, vt cuius magnificentiam ſupra cœlos eleuatam ſcriptura prædicet, eumque cœlo excelſiorem longiorem terra, mari eſſe latiorẽ. Et ſic Gentilium euacuari errorem, dicentium Deum eſſe animam cœli, vel etiam totius mundi, & ex hoc errore Idololatriam defendentium, quaſi ſit totus mundus Deus, non ratione corporis, ſed animæ: quo ſuppoſito ſequi, mundo & partibus eius non indebitè diuinum cultum exhiberi. Commentatorem etiam dicere, hunc locum fuiſſe lapſum gentis Zabiorum, vel idololatrarum, quod ſcilicet poſuerũt Deum eſſe formã cœli. Habes quid tum in

*Deus nullius corporis forma.* *Pſal. 8.* *Iob. 11.* *Deus non eſt anima cœli vel mundi.* *Lib. 11. Metaphyſic.* *Zabij.*

eo opere certum Thomæ fuerit quid item incertum,& irreſolutum. Nec ſecus in Quolibetis, De hoc videlicet diuerſimode ſenſiſſe doctores Eccleſiæ, nedum philoſophos, Plato & Ariſtoteles ponũt corpora ſuper cœleſtia eſſe animata, Anaxagoras negauit, ideoque occiſus legitur, Hieronymus alicubi ait, Damaſcenus negat, Auguſtinus nihil determinat. Ego itaque dico nihil ad fidem referre vtrum ſic vel aliter ſit, & quod nec ſi affirmauerimus, non ideo erunt in iudicio tres iudicandorum ordines, Angelorum ſcilicet, hominũ & animarũ, quia illæ animæ computabuntur cum angelis: & hoc ſenſiſſe videtur, qui præfationem fecit, dicens? Cœli cœlorũque virtutes, &c. In quæſtionibus diſputatis & hanc quoque de ſpiritualibus creaturis in vtramque partem diſputauit, & vtramque opinionem ſcripſit probabilitatis aliquid habere. Concludit tamen ex ſubſtantiis ſpiritualibus aliquas vniri corporibus cœleſtibus, non vt formas, ſed vt illorum motrices. Quæ concluſio ſeu diſtinctio modicam fortè aut nullam inuenit inter has duas opiniones diſſonantiam, hos autem corporum cœleſtium motores & præſides in ſocietate angelorum computari, quos ad hoc miniſterium deputatos Deus a caſu, ſicut & aliorum plurimos, cuſtodiuit, & ſic ceſſat argumentum. Cum omnis rationalis creatura ſecundum naturam ſuam conſiderata peccare poſſit, ſi quæ

*Quolibeto 12. Artic. 9.*

*Iudicãdorũ ordines.*

*Præfatio Miſſæ cœli cœlorũque virtutes.*

*Artic. 6.*



tales ſeu rationales corporibus cœleſtibus vnitæ ſint, nihil prohibuit earum aliquam peccauiſſe, & ſic ſequeretur hoc abſurdum, aliquod cœleſte corpus ab aliquo malo ſpiritu moueri. Ceſſat & hoc nihilo abſurdum minus, cùm bonorum ſpirituum ſuffragia imploremus, ſi qui ſpiritus corporibus illis vniti ſint, neque conueniat eos malos ponere, ſed ponere bonos oporteat, vt potè Deo in adminiſtratione naturæ corporeæ ſeruientes, ſequeretur & eorum quoque ſuffragia eſſe implorãda, videri tamen abſurdũ, ſi quis dicat. Sol & Luna ora pro me. Non enim hoc ſequi, neque hoc dicimus, quia ea ſpiritualis ſubſtantia non vtitur corpori cœleſti, ſolari, aut lunari, vt forma, ſed vt motor tantùm, vt auferatur idololatriæ occaſio. Sicut vt ne Deo, quod ſuum eſt auferatur, ſolius autem Sapientiæ increatæ ſit, totum cœlum continere, & cœlos implere, ex cuius perſona dicitur. Girũ cœli circuiui ſola. Et nunquid non cœlum & terram ego impleo? Reſpondet cœleſtes motores, ſpirituales vtique creaturas, nõ in totis eſſe cœlis, etiam iuxta Philoſophũ, ſed in ſui quemque cœli parte, proinde nec cœlũ totum continere, aut implere, contineat licet & impleat anima corpus cui vnitur, totum, vt quæ illi dat eſſe ſecũdum totum, & partes. Denique in ſumma Theologica, quam ſenior cõpoſuit, renarratis more ſuo ſuperioribus, tum Philoſophorum, tum Theologorum hac de re

*Negat et hoc Plato x. de legi.*

*Angelorum inuocatio.*

*Eccle. 24.*

*Hier. 23.*

*Phyſicor. lib. 4.*

*Part. 1. quæſt. 70 artic. 3.*

opinionibus, negat cœleſtia corpora niſi æqui-
*Cœleſtia æquiuocè animata.* uocè animata eſſe, nec eo quo inferiora iſta, plantas videlicet, & animalia, modo, quibus coniungitur anima, vt forma, ſed ſubſtãtia illa, viuens vtique & apprehenſiua cœlos mouens, cœlis vnita eſt contactu virtutis, & ſufficit, ex quo cœlum quidem componatur ex motore & mobili, nõ tamen ſicut ex forma & materia, nec requiritur. Vnde inter ponentes cœleſtia eſſe animata, & eadem inanimata eſſe ponẽtes, parua vel nulla inueniatur differentia in re, ſed in voce tantùm. Et hęc via ſiue ſententia per cœlorum animationẽ nihil aliud intelligẽs, quàm virtualem motorum ſeu mouentium ad mobilia vnionem. S. Thomæ intimius conſideranti tutior viſa eſt, & ſaluãdis ſcriptorum tum prophanorum, tum ſacrorum ſcriptis, non tam, vt ei viſum eſt, aduerſis, quàm diuerſis, ſufficiens. Hæc cùm ſint non ſolùm de mente Aquinatis, ſed verba ipſius ipſiſſima, prima, media, poſtrema (nec enim eodem tempore talia tantáque opera elaborauit) nihil ad eum pertinent, aut
*Articuli Pariſiẽſes* contra eius doctrinam faciunt articuli Pariſiis, & in Anglia confecti condemnatíque, alij eo etiamnum viuo, & adhuc ſcribente, alij paulò poſt eius obitum. Obiit enim vir ille, neſcias maiórne Theologus an Philoſophus, plus minus quinquagenarius. Anno Domini 1274. Articulorum autem horum, vt habet præfatio, triennio pòſt data 1277. ſtudioſè & cum autori-



tate cõdẽnatio facta eſt, annis 1226. 1240. 1270. quadriennio ante eius obitum. Alij aliquantò poſt annum milleſimum tricenteſimum. Sunt autem errores de cœlo & ſtellis, quo ibi ordine leguntur, I. Quòd corpora cœleſtia mouentur à principio intrinſeco, quod eſt anima, & quod mouentur per animam, & per virtutem appetitiuam, ſicut animal. Sicut enim anima appetens mouetur, ita & cœlum. III. Quòd anima cœli eſt intelligentia, & orbes cœleſtes ſunt inſtrumenta intelligentiarum, ſicut organa: ſicut auris & oculus eſt organum virtutis ſenſitiuæ. VI. Quòd natura, quæ eſt pricipiũ motus in corporibus cœleſtibus, eſt intelligentia mouẽs. Error, ſi intelligatur de natura, quę eſt actus, vel forma, Hæc ibi. Atqui Thomas, corporũ quidem cœleſtiũ, vt pote nobiliſſimorũ atque ita nobiliſſimas licet formas, animas tamen eſſe, ne ſic quidem, ait, neceſſe eſt: Nihil enim prohibere, idẽ eſſe ſimpliciter nobilius, & ignobilius ſecundũ quid. Cœleſtis ergo corporis formã, nõ ſit ea licet ſimpliciter nobilior quàm anima, vt antè ex Auguſt. audiuimus, naturã viuentẽ non viuẽti præferendã, in ratione tamẽ formæ nobiliorẽ eſſe, materiã enim ſuã ea totaliter & ita perficit, vt hæc nõ ſit in potẽtia ad aliam formã. Et ſic vt corporũ cœleſtiũ nobilitatis cõſideratio inducit ad ponẽda ea propriè animata, ita, imò efficaci⁹ ſubſtãtiarũ ſpiritualiũ nobilitatis cõſideratio ad cõtrariũ redu-

*Corporis nobiliſſimi, nobiliſſima forma.*

cit. Et adeo formas eorum non putat eſſe animas, vt eis corporibus ſiue orbibus competere neget, non dicam vegetari, nutriri, augeri, vt plantis: ſed nec appetere quid vel ſentire, vt irrationalibus: vel intelligere, vt hominibus, ſed moueri tantum. Nec enim propter vllam harum animæ operationem, hos eis animos ſiue ſpiritus vniri, ſed propter ſolam motionem, ad quam non oportet eos vt formas vniri, ſed ſufficit vt mobilibus motores, per contactum virtualem. Vt motor quidam habeat ratioñe (ſiue potius locum teneat) principij intrinſeci & actiui, corpus autem organi ſeu inſtrumenti paſſiui, non tamen propriè animati, ſeu viuentis. Et hoc nobis ex Thoma reliquũ eſt, vt examinemus de Ariſtotelis ſuper hac re iudicio. In ſumma enim Gentilitia (vt ſic vocetur) vult ſecundum Philoſophum, ſic cœlum ponendũ animatum, vt anima cœlo vniatur ſicut forma, in ſumma autem Theologica dicit iuxta eundẽ ſufficere vniri, vt motorem mobili. Hîc Caietanus, alter quidam Thomas, & poſterioris ſummæ Scholiaſtes, reſponſionem non videt, niſi duarum alterã, vel quod hîc melius dixit, quia poſterius ſcripſit, vel ibi intendit id non repugnare Ariſtoteli, vt cuius doctrina ad hoc tendat. Licet enim poſſit, vt & hîc interpretari, ex his tamen quæ in libris de cœlo dicuntur, habemus quod animatum indiſtinctè poſuit. Quã gloſſam ſuſtinent verba illic Thomæ, cui quia

*Ariſtotelis hic ſententia.*

*Dub. 2.*



contra Auerroim ſermo ibi erat, licuit declinare in oppoſitum, & dicere cœlum Ariſtoteli animatum eſſe ſecundum ſubſtantiam. Poſſet & tertio fortè dici, Aquinatem hîc iuxta propriã opinionem loquutum, ibi ſecundum Ariſtotelem, quem licet adducat, non tamen aſſerit hãc eſſe eius opinionem, ſed ex eius dictis ſibi ſeruire. Nec aliter Franciſcus Syluester Ferrarienſis, ſummæ prioris interpres. Quia, inquit, Ariſtotelis incerta eſt hac in re ſententia, & ex diuerſis eius dictis diuerſa poſſunt accipi, ideo Thomas eius verba in rem ſuam, ſeu ad propoſitum ſuum interpretatur. Cùm ergo in poſteriore ſumma dixit Philoſophum non poſuiſſe cœlum animatum anima dante eſſe, ſed tãtùm mouente, non hoc ideo dixit, quaſi oppoſitum teneri non poſſit, ſed Ariſtotelis verba ad hunc ſenſum exponi poſſe. Vnde & in quæſtionibus diſputatis, ſub dubitatione loquens, inter has opiniones nullam ait, aut modicam fortè diſſonantiam. Et videri ſufficere ad ſaluandam Platonis & Ariſtotelis intentionem, quod ſpiritualis ſubſtãtia vniatur corpori cœleſti, vt motor. Hęc enim verba fortè, &, videtur, non aſſerentis, ſed opinatiuè & probabiliter loquentis ſunt. Quam enim clarum eſt in doctrina Ariſtotelis cœlum eſſe animatum, quia multoties id ſcripſit. Cuius ea de re & commẽtatoris eius locos Ferrarienſis ibi indicat, tam dubium, qua anima, mouenténè tantùm, an etiam eſſe dante,

quia neuter ne ſemel quidẽ id explicauit. Hæc Thomas & Thomiſtici. At Thomæ præceptor Albertus ille magnus, cœlo planè dat animam, non eadem licet cõditione, quâ in animali genito eſt, & corruptibili. Ait enim, Si vellemus Philoſophos ad idem cum ſanctis reducere, dicemus quaſdam eſſe intelligentias in orbibus cœleſtibus in eorũ motu motori primo deſeruientes, quorum eæ dicuntur animę, non tamẽ vniuocè cum hominum intelligentiis, eo quòd non egrediuntur in actum per abſtractionem à phantaſmatibus. Et, concedimus autem quod intelligentia, quæ dicitur anima, & motor orbis, nõ ſecundũ eandem rationem dicitur anima cum intellectu humano, ſed per prius & poſterius. Et, Philoſophi nõ contradicũt quibuſdam ſanctis negãtibus cœlum animam habere, niſi in nomine ſolùm, quia ſancti hac in re abhorrent animæ nomen. Hæc ille apud Paulum Riciũ (de quo pòſt) penes quem ſit fides. Nam mihi hæc colligẽti non erat ad manum hic Alberti locus, quo ſatis apertè ſentit in orbibus intelligentias eſſe, quas & animas appellat, ſed à noſtris differentes, quòd illæ non ſint ſenſitiuæ, per phantaſmata ſcilicet, intelligentes abſtrahentéſque, & talem fuiſſe ſenſum ſanctorũ etiam cœleſtibus corporibus animas negantiũ. Et lectorem remittit Ricius pro hac inueſtigatione, ad XII. diuinæ ſapientię Alberti librum. Ioannes Duns, qui & Scotus, ſubtilis doctor & profundus, negat iuxta philoſophos, cœlũ eſſe

*Cœleſtes animæ non vniuocè cum humanis.*

*Lib. 2. ſen tẽtiar. diſtin. 14. quæſt. 1.*



aut etiam eſſe poſſe animatũ formaliter. Quicquid enim ſit de Auerroe, Ariſto. verba nõ cogere, vt aliud ei imponatur, quia vbicũq; vocat animã cœli, exponatur quãtùm ad conditionẽ, quà anima eſt motrix, nõ quà eſt forma, quæ anima eſt intelligentia huius orbis motiua, huic cõiuncta vt motrix propria, & vni⁹ vnica. Aliud autẽ ei videtur reſpõdendũ, iuxta Theologos. Quorum cùm alius cœlos animatos dicat, alius neget, Auguſt. neutrũ aſſerat, breuiter cõcludit Scotus, Si cœli nõ ſunt animati, hoc eſt creditũ, & nõ ratione cõcluſum: quia nulla eſt cõditio, ita perfectè manifeſtè apparens repugnare animationi corporis. Hæc ille. Quibus palam eſt, quòd in via Scoti nõ repugnat, neq; rationi, neque credulitati, cœlũ animatum admittere. At Bonauẽtura uiã hãc, quâ quidã Philoſophi poſuiſſe videntur quod cœli ſcilicet haberẽt animas, & cœlũ eſſet magnũ animal, quodq; moueretur à ꝓpria forma perfectiua, ſicut mouentur animalia: hanc autẽ animã motricem regi & dirigi à Deo, mediante intelligẽtia, hanc inquã poſitionem falſam eſſe ſcribit, ſecutus cõmunẽ, vt eſſe ait ſanctorũ ſentẽtiã. Damaſceni imprimis dicẽtis vbi ſuprà, cœlos eſſe & inanimatos & inſenſibiles, & Auguſtini retractationẽ. Quàm autẽ parũ firmiter, & in Auguſtini anteà locis vidimus, & poſt adhuc ex Ricio viderim⁹. Addit tamen hanc poſitionem non ſolùm eſſe contra Catholicos doctores, ſed etiam contra Philoſophos & Phyſicos tractatores qui ponũt

*Eod. lib. & diſt.*

ſubſtantiam intellectualem non vniri corpori, niſi mediante vegetabili & ſenſibili: Itaque ſi cœlum perficeretur à ſubſtantia ſpirituali, haberet ſentire & vegetari, & ſic naturaliter poſſet corrumpi. Et propter hoc poſitionem hanc omnino reiicit. Sed ne hæc quidē ratio firmior eſt, Nam & antè ex Thoma poſt Ariſtotelem audiuimus, Spirituales ſubſtantias ſiue intelligentias, & ſi quæ ſunt cœlorū animæ, non habere de animæ virtutibus & operibus, niſi quæ ad intellectum pertinent, intelligere ſcilicet, velle, mouere, proinde à talibus animis, periculi aut interitus cœlis nihil. Et hîc ergo vides lector ſcholaſticos de cœlorum animatu non minus opinioſos, quàm Philoſophos. Hinc illa in ſcholis diſtinctio, cœlos eſſe animatos, animis tantùm aſſiſtentibus, non etiam informantibus, quæ via eſt tutiſſima.

*Diſtinctio ſcholaſtica.*

*Moderni cuiuſdam ſcripti excuſsio, ſuper ſcripturis ſanctis hac de re.*

*Cap. V.*

ET par erat Pariſienſes articulos ſic ſcholis os occluſiſſe, vt aliter hac de re ſcholaſtici non ſcriberent, niſi vulgo diceretur, viderint exteri quàm bene, articulos Pariſiēſes non tranſire Rhenum, non mare, non Alpes. Hinc illud noſtra memoria nobile monomachorum par, Paulus Ricius ex Iſraëlita Chriſtianus de

*Alfonſ. Caſtr. contra hæreſes lib.* 1. *cap.* 8.



cœlis propriè animatis, & Ioannes Eckius percelebris Theologus, qui poſitionem hanc ludicram prorſus & exoticam, execrabilem, & à fide exorbitātem eſſe cenſuit, in tractatu de prædeſtinatione. Quibus rationib⁹ haud ſcio (quoniam is liber penes me non eſt) niſi ex alterius reſponſione. Cuius ideo de cœli anima cōpendium, libuit hoc cōpendio contrahere, tribus cōcluſionibus cōprehenſum I. nihil hoc referre ad fidem orthodoxā, vt ex cuius fundamentis nec ſequatur, nec repugnet. Et ad hoc in vtranque partem ſunt doctorū autoritates Auguſtini, Thomæ, Scoti, pręallegatæ. II. Prophetarum, ſanctorúmque eloquiis conſentaneam magis videri affirmatiuam, quàm negatiuam. Idque probat ex prophetarū hac de re ſilentio, quod alioqui ſi cœli eſſent inanimati, Prophetę, vel ignorantię, ſiquidem id neſciuerunt: vel incuriæ, ſi ſciuerunt & ſiluerunt, incuſandi eſſent, nimirum quòd id ſilendo, cauſam, vel ſaltem occaſionem dediſſent aut reliquiſſent, aliis nouæ idololatriæ, aliis in veteri permanentiæ, quòd vbi idolorū cultum redarguunt, cauſantur ea paſſim non videre, non audire, non palpare, non ambulare &c. De Sole, Luna, cæteríſque ſyderibus tale nihil, ſed quòd populus Iſraël non eſt illis attributus, aut, vt cæteri gentium, obnoxius, aut quia ſyderum cultum Dominus Deus non præcepit. Sed næ hoc ex prophetarū ſilētio argumētū retortu perfacile eſt.

*Deut.* 4. 17. 29. *Pſal.* 113. 134. *Eſa.* 44. 45.

Quis enim es tu, qui quod illi vel neſciuerunt,
reſcias: vel tacuerunt, reueles, cœleſtia ſcilicet
animata eſſe, & ſentire, vel intelligere, hoc eſt,
qui propheris addas vel minuas? Nam quam al-
*Hier. 7.* legat à Hieremia Reginã cœli frequenter pro-
*44.* nunciari, valde fallor, niſi valde Ricius fallitur,
*Regina* cùm Propheta nõ ex ſua, ſed gentiũ perſona lo-
*cœli.* quatur, quæ tandẽcunque illis talis regina fue-
rit, ſiue Luna, vt Hieronymus accepit, Lyra,
*Æneid.* & ſi qui alij. ſiue Iuno (diuûm apud poëtas in-
*1.* cedens Regina) ſiue deûm mater Cybele, ſiue
*Cõtra hæ-* fortuna, vt Epiphanio videtur, de qua illud Sa-
*re. 70.* tyrici,

*Te facimus fortuna deam, cœlóque locamus,*

& c. Sic enim mulieres Iudeæ, gẽtiliſantes, lunã
ceu cœli Reginam, vt viri Iudæi Solem quaſi
cœli Regem adorabant. Hinc illa.

*Æneid.* *Sol, qui terrarum flammis opera omnia luſtras.*
*4.* *Túque harum interpres curarum & conſcia Iuno.*
*Accipite hæc, —— & noſtras audite preces.* *Et ille.*
*Æneid.* *Suſcipiens altam Lunam ſic voce precatur,*
*9.* *Tu Dea, tu præſens noſtro ſuccurre labori,*
*Aſtrorum decus, —— & rege tela per auras.*

Ex inſanientiũ inquã, ſenſu, nõ ex ſuo loqui-
tur propheta, quẽ ſenſum cultúmq; redarguit,
*Eccle. 3.* non aſſeruit. Sic Salomon ex ſtultorũ nõ ex ſua
perſona ſcripſit ſpiritũ hominũ & pecudũ ni-
hil differre, cùm eadẽ hîc hominib⁹ & iumẽtis
eueniant. Et hinc Epicuriſmi & Atheiſmi poſt
*Eccle. 1.* origo. Et quod apud eundẽ, ſpiritũ vniuerſa lu-



ſtrãtem in circuitu pergere, cœli virtutẽ ſiue a-
nimã eſſe cõtendit, aſſiduè cœleſte corpus cir-
cumuoluentẽ. Verius Hierony. exponit, aut de
ſolis annuo curſu, vel poti⁹ de quotidianis eius
ſemitis, obliqua linea per Auſtrũ ad Boreã per-
gẽtis, & ita ad Oriẽtẽ reuertẽtis. In circulos, ait,
ſuos reuertitur, aut de eo, qui vt citat ex poëta.

*Cœlum & terram campóſque liquentes,* *Æneid.*
*Lucentémque globum Lunæ, Titaniáque aſtra* *6.*
*Spiritus intus alit: totámque infuſa per artus*
*Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.*

Sic Auguſtinus; Vt corpora craſſiora per ſub- *De Trini-*
tiliora & potentiora quodam ordine regun- *tate lib. 3.*
tur, ita omnia corpora per ſpiritum vitæ, ſpi- *cap. 4.*
ritus vitæ irrationalis per ſpiritum vitæ ratio- *Deus*
nalem, & rationalis deſertor atque peccator *creaturis*
per ſpiritum pium atque iuſtũ, & hic per Deũ, *vtitur per*
ac ſic vniuerſa creatura per creatorem ſuum, *creaturas*
ex quo, per quem, in quo condita etiã & inſti-
tuta eſt. De quo Thomas didacticè, vt omnia. *Opuſcul.*
Ordo cõmunis diuinitus inſtitutus hoc habet, *X. arti. 1.*
vt corporalis creatura à Deo moueatur, ſpiritu *2. 3. 4. 5.*
mediãte. Deus enim ſpiritualem creaturã cor- *Ordo cois*
porali præpoſuit, vt idẽ habet Auguſtinus. Cui *rerum.*
tamen ordini diuina potẽtia nõ alligata, quan- *De Gene.*
doque preter ordinem cauſarũ ſecundarũ agit, *lib. 8. ca.*
cùm ei placuerit, vt patet in miraculis. Appel- *20. 23.*
lamus, ait Auguſt. natura cognitũ nobis ſolitũ *Miracu-*
naturæ curſum, contra quem cùm quid Deus *la.*
facit, magnalia vel mirabilia nominantur. Si *Cõtra Fau-*

*ſtum. lib.* ergo corpora reguntur à Deo, mediante ſpiri-
*26. cap. 3.* tuali creatura: ad opus autem diuini regiminis
*Natura* pertinet corporū motio, cōſequens eſt Deum
*magna-* per ſpiritualē creaturā cœleſtia corpora moue-
*lia.* re. Quod & Auguſtinus expreſsè, vbi ſuprà di-
*De Gene-* cit, ſublimib⁹ vtique angelis ſubditā eſſe omnē
*ſi lib. 8.* corpoream naturā, ac proinde cœleſtē: Et hæc
*cap. 24.* quidē animata eſſe ſubdubitauit, Damaſcenus autē pernegauit, ſed ea moueri à ſpirituali creatura, à nemine ſanctorū vel Philoſophorū negatū legiſſe memini. Suppoſito ergo Deum nō eſſe immediatū cœlorū motorē, hoc in dubiū nulli ſapienti vertitur angelos eorū eſſe motores, idq; infallibiliter probatū. philoſophi enim tam Platonici, quàm Peripatetici, hoc probare conati ſunt, rationibus quas efficaces putauerunt, quáſque ſuper prædicto rerū ordine fundauerūt, quòd Deus ſcilicet inferiora, per ſuperiora regit, quod etiam ſancti doctores tradūt. Corpora autē cœleſtia à ſola natura ſua moueri, vt grauia & leuia, omninoq impoſſibile eſt, vnde niſi à Deo immediatè moueātur, cōſequens eſt vel animata eſſe, & ab animab⁹ propriis moueri, vel quod melius dicitur, ab angelis. Quidā tamen Philoſophi poſuerūt primū cœlū à Deo moueri, mediāte anima propria, non alia intel-
*Opuſculo* ligentia: alios moueri mediantibus intelligētiis
*XI. artic.* & animab⁹. Hæc ille. Et addit opuſculo ſequē-
*1. 2. 3. 6.* te, huiuſmodi probationib⁹ libros Philoſophorū abundare, quas ipſi demōſtrationes eſſe pu-



tant, idē etiā ſibi videri, demōſtratiuè videlicet ꝓbari poſſe, cœlos ab aliquo ītellectu moueri, & vel à Deo immediatè, vel mediātibus Angelis, ſed hoc poſterius magis congruit rerū ordini, quē infallibilē Dionyſius aſſerit, vt inferiora à Deo per media ſecūdū cōmunē curſum adminiſtrētur. Proinde illud ſuprà, in circuitu per-
git ſpirit⁹, ſanè exponi poſſe de angelico ſpiritu *Eccle. 1.*
per (& propter) operationē, quia mouet cœlū ſecūdū circulū. Non video, ait, quare nō poſſit ita exponi, cùm hęc ſentētia vera ſit, ſecundum prędicta, & hic exponēdi modus à cōſuetudine
ſcripturę nō diſcrepat, vbi dicitur, Spirit⁹ inter- *Rom. 8.*
pellat, id eſt, interpellare facit. Sic ſpiritus pergit in circuitu, id eſt pergere facit, ſeu circulariter mouet. Habet igitur Rici⁹, vel eorū, quos citat, teſtimonio, ſpiritū hoc loco virtutē eſſe,
quę cœlos moueat, nō quę vel informet vel ani- *Cœli præ-*
met. Pergit, & addit etiam Prophetis cœlos eſſe *ſtantiores*
animatos, quia animatis etiā hominib⁹ ſimplici- *homini-*
ter præſtantiores ſeu perfectiores, perfectione *bus, ergo*
vtique naturæ ſeu ſubſtātię, licet non aduētitia *animati.*
ſiue gratuita, qua nihil obſtat homines aſtris, imò quibuſdam angelis præſtare ac excellere. Quòd autem Prophetæ præferant ſimpliciter
cœlos hominibus, probat ex lib. Iob, Quid eſt *Iob 15.*
homo, inquiētis, vt immaculatus ſit, & vt iuſtus appareat natus de muliere? Ecce inter ſanctos nemo immutabilis, & cœli nō ſunt mūdi in cōſpectu eius. Quantò magis abominabilis & in-

utilis homo, qui bibit quaſi aquas iniquitatem? Et, nunquid iuſtificari poteſt homo Deo cõparatus, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce luna etiam non ſplẽdet, & ſtellę non ſunt mũdę in cõſpectu eius, quãto magis homo putredo, & filius hominis vermis? Vbi negat Ricius cœlũ homine dici prę ſtãtius, angelorũ cœlos inhabitantiũ intuitu, quaſi vtrũq; dicat propheta, & cœlos ſcilicet & cœlicolas hominib⁹ terricolis precellere. Verùm eã in his locis metonymiam, de qua ſuprà, probat alius eiuſdem Prophetæ locus ſuperior penè idem, ſequentiũ certè interpres. Nũquid homo Dei cõparatione iuſtificabitur, aut factore ſuo purior erit vir? Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles, & in angelis ſuis reperit prauitatẽ, quãtò magis qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentũ, cõſumẽtur velut à tinea? hoc eſt fortè quod apud alterum Prophetã Deus, inebriatus eſt, ait, in cœlo gladius meus. Et Apoſtoli ſcribũt eum angelis peccãtibus nõ pepercisse. quãto minus hominib⁹ impœnitẽtibus nõ parciturũ? Sed vt S. Iob etiam de cœlis, ne dum de cœleſtibus angelis loquatur, & hoc argumentũ iam inter Thomiſtica ſolutũ eſt, cùm proponebatur nobilioris corporis nobiliorẽ eſſe formã. Habent certè homo cœlo, & hominis quàm cœli forma nobilior eſt, quòd rationis, ac proinde & gratiæ & gloriæ capax, in ò eatenus corpus humanũ cœleſti prę ſtãtius eſt, quia vitę & bea-

*Metonymia.*

*Iob 4.*

*Eſa. 34.*

*2. Petr. 2.*

*Iud.*

*Corporis nobilior, forma nobilior.*



titudinis æternę particeps futurũ. Quod & reſponſum ſit ad id quod Ricius proponit, ex Dauide ſalutis nuncio, ſic aiente. Cùm video cœlos opera digitorum tuorum, Lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti: quid eſt homo, quòd eius memor es, & filius hominis, quoniam viſitas eum? Hîc libet non tantùm, vt hactenus, Philoſophari & theologari, ſed & pauliſper grammaticari. Venit enim mihi aliud quiduis potius agenti, non tamen à propoſito aliena, Grammaticorũ regula quæ eſt indifferentiæ.

*Sint res abſque anima, ponetur mobile neutrum.*

Quotieſcunque, aiunt, ſubſtantiua rerum inanimatarum, cuiuſcunq; generis, coniunguntur ad adiectiuum, vel demonſtratiuum, vel relatiuũ plurale, ipſum ferè ſemper erit neutrius generis, quia copulatum rerum inanimatarum æquipollet vni plurali neutrius generis &c. Pro qua regula inter plures autoritates tam profanas quàm ſacras, afferunt & hanc, Lunam & ſtellas quæ tu fundaſti. Et addunt in hac regula dictum, *ferè ſemper*, quia quando res ſunt inanimatæ, fit adhuc aliquando conceptio generum, vt in ſacris, Sol & Luna obtenebrati ſunt. Aliud eſt vbi ſumuntur quaſi res animatæ, vt infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc illi. Sunt ergo Grammaticorum iudicio, non prorſus vtique contemnendo, inanimata cœleſtia.

*Pſal. 8.*

*Deſpauterius in Syntaxi.*

*Grãmaticorũ obiter hac de re regula & ſententia.*

*Ioel 2.*

*Apoca. 20.*

## *Cœlum propter hominem, non hominem propter cœlum eſſe factum. Cap. VI.*

AD Theologos redeamus, & ex his, imò ex ſcripturis diſcat Ricius hominem cœlo & natura & gratia prȩſtãtiorem. Cœlũ enim propter hominem, nõ hominẽ contrà propter cœlum eſſe factũ. Quo axiomate non alterum ferè apud Chryſoſtomũ ſæpius occurrit. Sic ad

*Pſal.150.* id, Laudate Dominum in ſanctis eius, Alius in ſancto ſuo, alius in ſanctificato ſuo, vel hoc dicit de populo, vel de vita ſancta, & ſanctis viris. Mihi autẽ videtur aliud quoq; dicere, in ſanctis ſuis, id eſt per ſanctos ſuos. Gratias, ait, agite, quòd talem mundi formam in vitã introduxit, vel etiã homines angelos effecerit. Ideóq; cùm prius dixiſſet, in ſanctis, ſubiũxit, Laudate eum in firmamento virtutis eius, id quod iam dixi, indicãs, hoc enim Deo magis curæ quàm illud. Cœlũ enim propter hominem, non homo pro-

*Homil. 4 de verbis Eſaiæ.* pter cœlum factus eſt. Et alibi. Ne mihi illud ſpectato, quod in terris ſita eſt Eccleſia, ſed quòd in cœlo verſatur. Nam radices in cœlo fixas habet potiꝰ quàm in terra. Verùm fortaſſis Ethnicus meã deſpicit arrogantiã. Sed maneat, donec harum rerum probationem attulero, diſcãq; vim veritatis, quomodo facilius eſt ſolem

*Mat. 24.* extingui, quàm Eccleſiam obſcurari. Quis, in-

*Mar. 13.* quit, iſta prȩdicat? is qui eam fundauit. Cœlum & terra tranſibunt, verba mea non tranſi-



bunt. Quæ non modò dixit, ſed & compleuit, *Luc 21.* ſiquidem latius illa fundauit quàm cœlum. Eſt enim cœlo honoratior Eccleſia. Quare cœlum conditum eſt? propter Eccleſiam. Eccleſia nõ eſt propter cœlum condita: cœlum conditum eſt propter hominem, non homo propter cœlum. *Eccleſia cœlo honoratior.*

Id perſpicuum eſt ex his quæ fecit Chriſtus: Non enim cœli corpus aſſumpſit, ſed hominis. *Hebr. 2.* Et alibi, Chriſti Eccleſia nihil fortius: Si quis eam impugnare proponit, tale eſt acſi cœlo bellum inferre meditetur, homini ſi bellum inferas, vinces, aut vinceris. Eccleſiam vincere nulla vis poterit, DEVS EST ECCLESIA, qui eſt omnibus fortior. *Homil. 11. cum ageretur de eius expulſione. 1. Cor. 10.* An æmulamur dominum? nunquid illo fortiores ſumus? *Pſal. 103.* Deus fundauit hoc, quod labefactare conaris. Aut experiri vis potentiam Domini? Is eſt qui reſpicit ſuper terram, & facit eam tremere, & iterũ qui iubet, & tremor eius ſolidatur. Aut non vidiſti tremere ciuitatem tuam? quoties ſtare fecit? *Conſtantinopolis terræmotui obnoxia.* Multò magis Eccleſiam ſuam trementem poterit conſeruare, fortior enim Eccleſia multò quàm terra, imò & cœlo fortior, quia cœlum & terra tranſibunt, &c. fulget autem Eccleſia ſuper ſplendorem ſolis, & charior eſt Deo, quàm cœlum, non enim Eccleſia propter cœlũ, ſed cœlum propter Eccleſiam, *Eccleſia cœlo fortior, & Deo charior.* Et alibi. Si quis tibi cœlum alioqui labens aut caſurum ſubleuandi vim dediſſet, nunquid eo facto interpretareris, honore te honeſtetũ, qui condi- *Serm. de miſericordia, homil. 35. ad Antiochenos, &*

tionem tuam ſuperaret? Ecce maiori te nunc honore dignatus eſt, Siquidem quod cœlo dignius eſt & honoratius, quodque pluris facit, eius tibi erigendi refouẽdique curam & facultatem credidit. Nihil enim apud Deum, ex his quæ videntur, homini par, ei æquè charũ gratumvè, aut maioris æſtimatum, propter quem, cœlum, terram, & mare creauit, & cuius quàm cœli habitatione magis delectatur. Et adhuc alibi, Non tam admirandus Deus ac ſuſpiciendus ex cœleſti hac machina, quantùm ex optimis humanæ vitæ actionibus. Cùm ergo de fide cum gentilibus diſſerimus, non eis cœlos in medium adducamus, ſed homines feris anteà peiores, tales diuino impulſu ab Apoſtolis effectos, vt Angelos puritate æmulentur, quidam etiam decertent, qua mutatione ora illis occludimus. Eoque magis, quòd homo cœlo multò melior eſt atque præſtantior, quique animam quouis cœleſti ſplendore & conatu ac pulchritudine ſplẽdidiorem habere poſſit. Et ſubiicit, pro ſuo in Paulum Zelo, eum breui plures permouiſſe atque perſuaſiſſe, quàm cœlum tanto tempore viſui expoſitum, hoc etiam ſuis terminis contentum, ſuos ſeruare canones, in eadem conſiſtere ſtatione, illius autem mentis ſublimitatem cœlos ſuperaſcẽdere, ipſique Domino conuerſari. Et Angelos item, cum fierent aſtra, admiratos, hũc verò Deus ipſe demiratus eſt, Vas, inquiens, electionis eſt mihi. Cœlum

*Homini viſibile nihil par.*

*Serm. de gratiis Deo agẽdis. Hom. 25. ad Antioch. & 18 ad Roman.*

*Homo cœlo melior, & præſtã tior.*

*Paul⁹ melius ſuadet quàm cœlum.*

*Act. 9.*



denique nebulas plerũque obducere, Paulum, quique in Paulo fulgebat, Solem, nullis moleſtiarum nubibus obumbrari. Cõcludit, Imitemur ergo & nos illum, & ſiquidem voluerimus, nihil erit præ nobis cœlum nobis collatũ, nihil Sol, nihil orbis vniuerſus, hæc enim propter nos, & noſtri gratia omnia facta ſunt, non nos propter illa, nec ipſi ſumus eorum cauſa creati. Reipſa nos oſtendamus dignos eſſe, propter quos ea fierent, nec immeritò cuncta hæc noſtri eſſe contẽplatione creata, &c. Hæc vnus omnia Chryſoſtomus, hominem cœlo longè præferens, & natura & gratia, quatenus illa huius capax eſt, ac proinde beatitudinis. Nã quia beatitudinis particeps eſſe natura nulla poteſt, niſi per intelligẽtiam, quæ, beatitudo inquam, quantò magis intelligitur, tantò plenius habetur, fecit Deus rationalẽ creaturã, quæ ſummũ bonum intelligeret, intelligendo amaret, amãdo poſſideret, poſſidendo frueretur. Eámque hoc modo diſtinxit, vt pars in ſui puritate permaneret, nec corpori vniretur, ſcilicet Angeli: pars corpori vniretur, animę. Diſtincta eſt itaq; rationalis creatura in incorporeã, quæ Angel⁹: & corporeã, quæ homo vocatur, ex anima rationali & carne ſubſiſtẽs. F. Si ergo quęritur ad quid creata ſit rationalis creatura? reſpõdetur, ad laudãdum Deum, ſeruiendum ei, fruendum eo. G. vt ſeruiret ei, frueretur eo, cui ſeruire regnare eſt. H. Et ſicut factus eſt homo propter

*Lib. 2. ſententiarum diſt. 1. D. ex Augu. de cognitione veræ vitæ. cap. 1.*

*Angelus. Anima. Homo.*

Deum, id eſt, vt ei ſeruiret: ita mundus factus eſt propter hominem, ſcilicet vt ei ſeruiret. Poſitus eſt homo in medio, vt & ei ſeruiretur, & ipſe ſeruiret: vt acciperet vtrunque, & reflueret totum ad bonum hominis, & quod accepit obſequium, & quod impendit. Ita enim voluit Deus ſibi ab homine ſeruiri, vt ea ſeruitute, nõ Deus, ſed homo ſeruiens iuuaretur: & voluit vt mundus ſeruiret homini, & exinde ſimiliter iuuaretur homo. Totum ergo bonum hominis erat, & quod factum eſt propter ipſum, & propter quod ipſe factus eſt. Omnia mea tua ſunt, ait pater ad ſeniorem filium. Omnia veſtra ſunt, inquit Apoſtolus. Superiora quidem ad viuendum & fruendum. Æqualia, angeli, ad conuiuẽdum, quibus æquales erimus, ſint modò licet nobis ſuperiores, noſtri tamen etiam modo ſunt, ſi non dominio, at certè vſu, in miniſterium propter nos miſſi. Inferiora, ad dominandum. Multò magis in futuro noſtra erũt omnia, cùm illam beatitudinem obtinebimus. Hęc partim ex Auguſtino, in Sententiis Theologicis. Primum, Creaturam rationis ſiue intelligentiæ participem, eandem beatitudinis eſſe capacem. Alterũ, Creaturã rationalẽ incorpoream quidẽ, eſſe Angelicam, corpori verò vnitam humanã, non etiã, quod iſti volunt, cœleſtem. Tertium, Angelos homini, quatenus hæreditatem ſalutis poteſt capere, ad hanc autem capiẽdam creatus eſt, ſuo quodam modo ſub-

*Luc.* 16. *1. Cor.* 3. *Luc.* 22. *Hebr.* 1. *Auguſt. lib.* 2. *Quæſtio. Euãgeli. cap.* 33.



eſſe, quãtò magis cœlos, & cœleſtia miniſteria? Quod nõ obſcurè indicat Dauidis verſiculus, Ricio citatus. Cõſtituiſti, ait, hominem, hominis filium, ſuper opera manuũ tuarum. Omnia ſubieciſti ei, non tantùm quæ ſequuntur, oues & boues vniuerſas, pecora campi, volucres cœli, id eſt, aëris, & piſces maris, ſed & ea quæ precedunt, cœlos opera digitorum tuorum, vt & alibi, Opera manuum tuarum ſunt cœli, ſuper quæ hîc ait hominem cõſtitutum, ſuper cœlos inquam, & Lunam & ſtellas. Ad hominis vtiq; vſum, & haud dubiè non minus, ſi non multò plus, quàm irrationalia animalia. Nimirum vt in cœli quidem firmamento luceant, ſed illuminent terram, & hominibus in ſigna ſint, & tempora, & dies & annos. Quæque domini creauit manus in miniſterium cunctis gentibus quæ ſub cœlo ſunt. Quod eſt quartum & vltimum, hîc à Sententiariis obſeruatum. Mũdum vniuerſum, cuius pars cœlum eſt, propter hominem eſſe factum, non econtrario, hominem propter cœlum. Et proinde hominem cœlo præſtãtiorem, & pluris apud dominum deum eſſe, ſecundum diuinam Chriſti dialecticam, dicentis, Nunquid anima pluris quàm eſca, & corpus pluris quàm veſtimentùm? quia eſca propter animam, non contrà: & veſtimentum propter corpus, non contrà. Semper autem id propter quod aliud, clarius eſt & potius, & melius, & priore loco habendum: id autem quod

*Pſalm.* 8. *Pſal.* 101 *Hebr.* 1. *Gene.* 1. *Deut.* 4. *Bar.* 6. *Matth.* 6. *Luc.* 12.

propter aliud, vilius & inferius, minoris, & poſteriore loco habendum eſt, vt vno ore docent Patres, ſuperius Chriſti verbum pro regula ſecuti. Auguſtinus lib. 1. de muſica cap. 6. de magiſtro. cap. 9. Res ideo pluris quàm ſigna, pendendas, quia ſigna ſunt propter res, & rerũ gratia, &c. De ſermone Domini in monte, ad id, Quærite primùm Regnum Dei (Euangelium) & omnia (victus cibus & veſtitus) adiicientur vobis. Hæc enim omnia propter illud, non contrà. De Ciuitate Dei lib. 7. cap. 3. Gregor. Naziázenus oratione 2. de Pace. Gregor. Nyſſenus de creatione hominis, cap. 29 & pleriq; alij. Hęc ad Ricium contendentem ex prophetis cœlum eſſe animato præſtantius, ac proinde animatum. Pergit. Ab iiſdem ſpiritualẽ intellectualemq; ſubſtantiã, per proportionis & operationis ſimilitudinẽ, vocari patrẽ & matrẽ. Virum & vxorẽ, ſponſum, ſpõſam, filiũ, filiam, & virginem & Reginã: Reſpõdeo, quiduis potius vt dici, ita eſſe, quàm hæc cœli animã Proinde ſcripturæ locos ab eo in hanc rem citatos, tanquàm nihil ad eandem pertinentes non recito.

*Res pluris quàm ſigna, quia ſigna propter res.*

*Reditus ad ſuperius modernum ſcriptum Et qui ſint cœli cœlorumque virtutes, &c. Cap. VII.*

SIcut & ad Hieronymi, Alberti, Thomę antè loca reſponſum eſt, de Aureolo pòſt videro. Quinto & poſtremo loco validũ valde, & quod omnib⁹ aliis ſtabile firmamentũ prębeat,



autumat vniuerſæ Romanæ Eccleſiæ teſtimonium, quæ in celebrãdi ſacramenti præfatione hæc verba decantat, Per quẽ (Chriſtũ dominũ noſtrũ) maieſtatẽ tuam laudãt Angeli, &c. Cœli, cœlorũq; virtutes, &c. Vbi per virtutes cœlorũ, Thomas in quodlibeto XII. teſte, cœlorũ animas voluiſſe videtur. Videtur itẽ non longè ab his diſtare Cardinalis Caietanus (ne hic & inter modernos omittatur) qui enarrãs illud, fecit cœlos in intellectu, ait, hoc eſt intellectuales, quod eſt verũ, vel quãtùm ad ſubſtantiã cœlorũ, ſi ſunt animati, vt multi philoſophi rationabiliter putant: vel quoad eorũ motũ, qui ſine dubio intellectualis eſt, hoc eſt, ab intellectu. Et alio loco obiter exponẽs, quod in pręfatione diuini ſacrificij canitur, Cœli cœlorũque virtutes ſocia exultatione concelebrant, exiſtimauit id poſſe intelligi de cœlis: qui cùm animati ſint, ipſi quoq; vnà cùm cæteris angelis laudãt Deũ. Quod in eum nõ animaduertiſſe Catarinũ miror, niſi fortè hîc & cõſenſit, quî cũ alioqui non admodum libens ſenſit. Sed quoniã Caietanus neminẽ pręter ſe huius loci affert interpretem, eadẽ facilitate aliũ ſequimur aliter interpretãtem, ꝙ cœli hîc vniuerſali notione ſuper cœleſtes oẽs Angelicaſq; ſignant ſubſtantias, quòd cœlorum ſint habitatores & incolæ. Non enim cùm nominãtur cœli cœlorumq; virtutes: per cœlos rectè, intellexeris orbes, globoſque cœleſtes, quoniam ij ſocietatem non habent cum ſpiritibus Angelicis in celebrãda laude diuina.

*Pſal. 135. Sixtus Senenſis lib. 5. Bibliothecę. cap. 108.*

*Iodoc. Clictou. lib. 3 Elucidatorij Eccleſiaſtici.*

Neque hîc nominatis hinc & inde ſupernarum ſubſtantiarum ordinibus congruè intermiſcere videretur ſermo de ſenſibilibus & materialibus cœlis: qui omnino alterius ſunt generis ab angelorum natura, & gradum poſt illos longè inferiorem ſortiti. Hîc ergo nunc quidem ſpeciali ordinum nomine ſignificari Angelos, dominationes, & poteſtates, nunc verò generali nuncupatione, & hierarchias omnes & ordines comprehendente exprimi: cum cœli virtuteſque cœlorum apellantur. Scripturarum diuinarum more, quo nunc à ſpeciali ad generale fit progreſſus, nunc rurſum à generali ad proprium & ſpeciale regreſſus. Quod & hoc in loco obſeruatur, vbi poſt cœlos cœlorumq; *Virtutes.* virtutes, ſiue virtutes velis hîc mediæ Hierarchiæ ordinem tertium ſpeciatim nominare, ſiue generatim quoſcunque ſpiritus cœleſtes accipere, ſumpto communiter & largè virtutum nomine, vt aliàs non ſemel, omnes cuiuſcunq; ordinis Angelos complectitur, poſtremo loco nominantur beata Seraphim, ſupremus ſupremæ hierarchiæ ordo. Hæc ille, multò quidem certè conuenientius, quàm Ricius, Caietanus, & ſiqui alij, quas Cœlorum animas aliūde ſibi perſuaſerunt, eaſdem ex huius cantus *In vocabulo ὀνόματα.* Eccleſiaſtici vocula, Eccleſię Romanæ eidémque Catholicæ imponere volunt. Suidas præter aliquot præallegatos nobis fauet. ad ea. *Pſal.146* Qui numerat multitudinem ſtellarũ, & omnibus



bus eis nomina vocat, hoc eſt, ait, eorũ diſpoſitionem, ſitum, diſcrimina, & affectiones inter ſeſe nouit, neque nominibus aut nominatim Deus aſtra cõpellat. Inanimata enim ea ſunt, & rationis expertia: homines nomina his indiderunt. Ad ea tamen quæ Ricianæ poſitioni aduerſari videntur, ita reſpondet Ricius. Profert Bonauentura antè citatus Auguſtini retractationẽ, ſiquid vſquam à ſe dictum ſit, quo mundum eſſe animal accipi poſſit. Ea verò retractatio ſe ſe declarat, & ſoluit, hoc vtiq; non retractatum, quia certò falſum, ſed quia nec verum eſſe comprehenſum, ac proinde temere aſſertũ. Et ſic antè Scotus reſpõderat, addens manifeſtũ videri in nullo eũ libro, ante libros retractationũ ſcripto, clarè hoc aſſeruiſſe, quod in iis retractauerit. Authoritatem ergo, quæ ex *Pſeud. Auguſti. locus.* libro ei inſcripto de agnitione veræ vitæ adducitur. Qui ſcilicet dicũt cœlos eſſe rationales, meritò ſunt irrationales, nihil valere. Aut enim librum illum poſt retractationes eſſe factũ, aut Auguſtini non eſſe. Si quis hîc Eraſmi cenſurã faſtidit, lectorem monentis, progymnaſma videri tyronis cuiuſdã Scholaſtici, &c. Ad Hieronymi de Origenica cœlorum animatione cenſurã, reſpondet, non poſitionẽ eum, ſed ponendi modum refelliſſe, hoc eſt, non Origenem incuſaſſe, quod ſimpliciter dixerit animata eſſe cœleſtia, ſed quomodo nos homines, ob quædam peccata craſſis & pinguibus his cor-

poribus circundati ſumus, &c. Quid hîc Hieronymus ſenſerit, non ex vno in Eccleſiaſten loco, quem Bonauētura per metaphoram eluſit, aut altero hoc Origenicarum cœli animarū cenſorio antè veſtigaui, & niſi valde fallor, inueſtigaui. Et quod ludicrū putat Ricius, Hieronymum pleráque non aſſerendo, ſed aliorū ſententias recenſendo, in ſuis tum in Eccleſiaſtem, tum aliis commentariis dixiſſe, ex ipſius Hieronymi confeſſione, & ad aduerſarium ſeria reſponſione probaui. Origenicum autē cœlorum animatum meritò eum reprobaſſe, non propter liquida aut macra eorum prę humanis corpora, ſed ob ineuitabiles alias abſurditates. Tertiò putat Ricius Baſiliū & Damaſcenū primos & ſolos in vaſto priſcorum Theologorū cœnobio oppoſitū poſitionis ſuę firmiter aſſeruiſſe, & iuniori Theologicę Scholę idē ſentiēdi aditū præbuiſſe. Veniſſet in mentē Ricio Lactātius latin⁹ quidē, ſed vtroq; græco anterior. Niſi fortè is Ricio fuit, quod neſcio quis cecinit.

*Grammaticus purus, equitans cum principe ſolus.*

Conſtantini nimirum magni præceptor. Sicut & Euſebius, qui idem contra Ricium ſenſit, familiaris. Nec hos quidem inſolutos relinquit. Sed aut ex inquiſitione non attenta ſuam illos poſitionem firmauiſſe. Idq́ue Scoto imponit, quaſi is voluerit illius fundamentū vacillans, & minimi fuiſſe roboris hoc videlicet, quia anima fruſtra corpori vniretur, ex quo ſenſum nō habet, nec per cōſequens vllā acquirit perfectio-



nem. Hoc Scoto non videri cōgruè dictū, quaſi forma vniatur materiæ, vt ab hac perfectionem accipiat, ſed potius vt huic perfectionē cōmunicet, imò principalius, vt ex eis totū cōpoſitū perfectū ſit. Verùm hęc ratio apud Damaſcenū neque ſcripta eſt neq; picta, vt huic ceu fundamēto innitens, in hāc opinionē declinauerit, vt putat Rici⁹. Sed Scoti eſt argutia, ab eodē mox ſoluta, quod ſtudio Ricius omittit. Reſpondet enim Scotus, formā vnitā materiæ ab ea perfectionis aliquid accipere. Alioqui anima beata fruſtra corpori reuniretur, ex quo ex eo perfectionis nihil acquireret. Secūdo igitur reſpondet Ricius, & aliter, ex Thoma, Damaſcenū nō omnino negare cœleſtia eſſe animata, ſed ita vt ſpirituales ſubſtātiæ vniātur eis formæ, vt corporib⁹ terrenis & corruptibilibus. Et hāc limitationē Damaſceni verba ſonare Ricio vidētur, cœlos dicentis inanimatos eſſe & inſenſibiles, quorū poſterius fruſtra additū eſſet & nugatoriū, ſi prorſus inanimatos ſenſiſſet, quod enim tale eſt, ſenſu quoq; careat oportet. Limitandi ergo voto addidit inſenſibiles: quaſi dixerit inanimatos eſſe, ſed anima tali, quali animātia caduca, quæ ad vitæ ſuæ permanētiam neceſſario ſenſum depoſcūt. Sic reſpōdendū ad Auguſtini paulò anteri⁹ de aſtris dictū, eodē ſcilicet, quod nūc Ricius attulit, limitādi, fundamēto, addidiſſe, vel ſaltē ſenſibilia. Quicquid ſit de hoc pſeud Auguſtini loco, vt de quo nō magno-

*Quæſt. 6. de ſpiritualibus creaturis.*

pere curandũ, quod Auguſtini minimè ſit. Re-
ctè tamen, quiſquis eius libri autor fuit, in rem
*Cap.6.* noſtram ſic argumẽtatur. Angelos eſſe ipſa in-
ſenſibilia probant, quæ tam certam ſui motus
legem obſeruant. Omne quippè quod moue-
tur, motũ aut à ſe habet, aut aliunde: quod au-
tem motum à ſe habet, ſenſibile eſt, vt anima:
quod aliũde, inſenſibile, vt corp᷒: quod ſi Sol,
Luna, & Sidera per ſe mouentur, ſenſu vel ra-
tione vigere videntur, quę tam certa tempora,
tam certa cœli ſpatia cuſtodiunt, & quodam-
modò ſuum intellectũ huic mundo lumine vel
ſignis innuunt. Sed qui ea rationabilia, vel ſaltẽ
ſenſibilia corpora arbitrantur, iure ſenſu carẽ-
tes inter irrationabilia cõputãtur. Cùm autem
verè ſint corpora viſibilia, ſed motu carẽtia, vt
putà inſenſibilia, & tamen moueantur, conſtat
profectò quòd aliũde moueãtur. Reſtat igitur
ea per Angelica miniſteria moueri. Hæc ille,
*Lib.12.* quiſquis fuit. Quæ etiam ratio Ariſtotelem cõ-
*Metaphy-* pulit ad ponendas intelligentias, ſiue ſubſtan-
*ſicor. cap.* tias ſeparatas. Damaſceni autẽ verba clariora
8. ſunt, quàm vt vllo limitationis gloſſemate eua-
dantur. Nullus, inquiẽtis, cœlos aut luminaria
putet animata, de iis licet vt inanimis aliis, lo-
qui ſoleat Scriptura, vt animatis, per proſopo-
peiam, &c. Nec cœleſtia quidem Damaſcenus
ſic à terrenis, quaſi hæc caduca ſint, illa incor-
ruptibilia, philoſophicè diſtinxit cum Ricio
(omnes licet philoſophi, nec in hoc quidẽ con-



ueniant) ſed Theologicè ibidem dixit, omnia *Cœli na-*
quę ex ortu prodierũt, interitui ſiue corruptio- *turà cor-*
ni eſſe obnoxia, ſecundum naturæ conſequen- *ruptibiles*
tiam, etiam cœlos, gratia autem conſeruari & *gratiâ cõ-*
contineri. Solus enim Deus naturà (immorta- *ſeruãtur.*
lis) ſine principio & ſine fine. Quapropter di- *1.Tim.6.*
ctum eſt de cœlis, non ſolùm quòd veteraſcẽt,
ſed & quòd ipſi peribunt, Tu autẽ permanes. *Pſal.101.*
Non tamen penitus diſparebunt, ſed immuta- *Hebr.1.*
buntur & innouabuntur, &c. Quid theologicè *Apoc.21.*
locutũ dixi Damaſcenum, non philoſophicè?
Imò & philoſophicè. Niſi fortè philoſophi nõ
fuerunt Pythagoras, hoc primus nomen ſorti-
tus, & Plato mũdum à Deo factũ. Plutarcho te- *De placit.*
ſte, arbitrati, interitui, quod ad naturã attinet, *Philoſo-*
obnoxium, quoniam corporeũ, & ſenſibus ex- *phorum*
poſitum: non autem periturũ, Prouidẽtia eum, *lib.2.cap.*
& Deo continente. Epicurus caducũ, vt ortũ, *4.*
vt ſtirpẽ, vt animal, &c. Poſtremum de tribus *Iudican-*
iuxta hanc cœlorum animationem, futuris iu- *dorum or-*
dicandorũ ordinibus, Angelorũ ſcilicet, homi- *dines.*
num, & animarum cœleſtiũ, quod vt manifeſtè
omniũ Sãctorũ traditioni aduerſum, potiſſimã
recẽtioribus eas animas renuendi occaſionem
dederit, proponit Ricius & ſoluit, ea ſcilicet
animãtia cœleſtia, quod dubitauit Auguſtinus.
Reſpõdit Thomas, ad Angelorũ ſocietatẽ per-
tinere, & cum eis in iudicio cõputanda. Solutio
periculi, quãtùm quidẽ ſẽtio, plenior, quàm vt
poſt Auguſtinũ dubitantẽ & diſputantẽ Tho-

mam,aſſeri debeat:eſſe ſcilicet,prçter Angelicã & humanã, tertiã neſcio quam creaturã rationis & arbitrij participẽ, & proinde vt virtutis & vitij,ita æternæ ſalutis & perditionis capacẽ.

### *Philoſophica, præſertim Ariſtotelica & Auerroica. Cap. VIII.*

TErtia Ricij cõcluſio eſt, Ratio & ſenſibilis rerum ordo,mõſtrat cœleſtia corpora animata exiſtere: animâ ſcilicet,quæ cœlũ ſuo modo informat.Et exponit Suo,vt paulò antè, hoc eſt, non corporum caducorũ modo. Idq́; probat aliquod aſſumptionibus, Ariſtotelicis, vti putat, & Auerroicis. Vt,Cœlũ exercet actũ, ſeu operationem vitæ, ergo eſt animatũ ſimpliciter. Et,Anima eſt corporis cœleſtis primum, viuendi principiũ, ergo eſt eiuſdem forma vel actus. Item,Perfectius eſt corpus cœlũ,ideo & eius perfectior eſt forma , ſcilicet Anima. Ad hæc inter Thomiſtica reſpõſum eſt, quæcunq; in cœlis & cœleſtibus apparẽt,poſſe fieri ab intelligẽtia mouẽte,nec eſſe neceſſe ab anima informãte.Proinde quod quartò aſſumit Ricius, Animatum eſt denominatiua prædicatio , hæc autem eſt ab re inhærente:& ſubſumit omnium ſententia corpus cœleſte vocitari animatũ, petit principium . Semper enim diſtinguetur de Anima,aſſiſtenterè tantùm, an etiã informãte, ſiue æquiuocenè an vniuocè animatum. Quòd & Thomas,eiúſque ſuprà interpres dixit, Ari-



ſtotelem ſcilicet , toties licet animatũ eſſe cœlum ſcripſerit, ne ſemel quidem , quâ qualíve anima,clarè expreſſiſſe. Nã quod citat Ricius ex libro de motibus animalium, vbi cœli motũ Philoſophus animalis motũ appellet : aſſerẽdo eſſe animal quoddam, quod ſemper mouetur à ſemper mouente , nihil tale extat in Alcyonij verſione. Conſulent fontẽ,qui græcum habẽt, & græcè bene norũt.Latinus contrà Damaſce- *Clictou.* ni commẽtarius, vbi ſuprà, hunc gentilitiũ errorem , hanc Platonicorum ſententiam adnotauit ab Ariſtotele improbari libris de cœlo & mundo , oſtẽdente rationibus naturalibus & phyſicis , cœlum minimè animatũ cenſeri poſſe.Locum non indicat,opinor, quòd idem adnotaſſet in illis libris . Vbi Phyloſophus inter cæteras antiquorũ de Cœlo opiniones, ſecũdo *Lib. 2.* loco excutit eos, qui ei, vt terrenis, grauitatem *cap. 1.* ineſſe ſuſpicantes, animal id eſſe putauerunt, & ab anima , vt pẽdula in aëre volucris in ſublimi ſuſtineri. Hoc autem eſſe irrationabile: primò, quia talis anima continuâ pœnâ & affecta triſtitiâ miſeram traheret vitam , quam tamen (ſi qua eius eſſet) liceret potius eſſe beatam.Secundò, quia cœlũ ſuſtineret & ferret violẽter: quare aliter ipſum ferri natũ eſſet. Tertiò,quia abſonũ eſt eã animã ſinè vacatione & intermiſſione mẽtis cõtinuè cœlũ volubiliter intorquere. Videmꝰ enim mortaliũ animantiũ,ipſis ſomno reſolutis,animarũ eſſe requiem,& operæ &

laboris intermiſſionem. Remitteret igitur & illa immortalis & æterna anima interdũ ſuos labores, & quiete ſolueretur placida. Hãc rationem attigit anteà Lactantius. Sic vulgata & in phyſicis auditoriis prælegi ſolita verſio, Nec aliter multò Georgius Pachymerius. Ariſtotelis non tam paraphraſtes, quàm Epitomator. Cùm, inquit, motus cœli ſit ſempiternus, & ſtationis ac quietis expers, vt eorum nonnulli qui Ariſtotelem præceſſerũt, arbitrati ſunt, id corpore & anima cõſtare, & ab anima cogi vt perpetuò moueatur, quæ nimirum prouideat, ne cùm põdus habeat, deorſum ruat, quæque procurans vt in ſublimi conſiſtat, hanc motionem moueat, quæ in orbem conuertatur. Itaq; quodam Atlãte cœlũ ſuſtinente, & Ixione idipſum ſemper torquente opus eſſe fabulati ſunt. Quã conuerſionem dixerit potius aliquis diuinam eſſe actionem, & non motum, ad eundem modũ quo anima. At ſequenti capite philoſophus poſitionũ differentias cùm ſex in cœlo contra Pythagoricos eſſe contendat, eas verò omnes non in omnibus reperiri, vt in elementis & inanimis, ſed in aliis alias, in perfectis tantum animantibus omnes. Eas, inquit, cœlum retinet. Nam in cœlo eſt mouẽdi principium, vt in animalibus, in quibus has diximus reperiri naturà differentiarum virtutes, eſt enim animatum quoddam. Igitur in cœlo ſunt ſurſum, deorſum, antè, pòſt, dextrum & ſiniſtrum. Sic eadẽ

*Lib. 3. Titul. 2. cap. 1.*

*Atlas. Ixion.*

*Poſitionũ in cœlo differentiæ, &c.*



vulgata verſio. At Pachymerij Epitome, Cùm Philoſopho viſum ſit cœlum eſſe animatum, & principium motus habere, attribuit non ſolùm dextrum & ſiniſtrum, vt Pythagorici, ſed & reliqua quatuor, vt quę nõ in omni corpore quęrenda ſint, ſed in iis quæ motus principiũ contineant in ſeipſis, cùm ſint animata. Et paulò pòſt, quoniam faciem cœli vocamus, quæ nos reſpicit, fingẽdum eſt cœlum eſſe velut animal quod hominis formam obtineat, & faciem ſuã ad nos conuertat &c. Hîc idem qui Damaſceni Scholaſtes, Non vult his, ait, verbis Ariſtoteles cœlum eſſe animatum. Nam præcedenti capite improbauit ſententiam eorum qui dixerunt eſſe animal, ſed occulta & latẽte analogia, (vt rectè monẽt notæ, animatum quoddam, id eſt vt animatum quoddam, verba in analogia) deſignat cœlũ hanc cum animato habere conuenientiam, quod ſicut animatum in diuerſis partibus habet diuerſas virtutes & officia, ſecundum quæ diuerſæ ſumuntur in eo poſitionum differentiæ, ita & cœlum. In quo eæ per analogiam animalis ſunt cognoſcendæ, nõ minus in cœlo quàm in animali, à natura rei diſtinctæ, nec relatione ad nos ſumpta, aut ſecundum ſitum & poſitionem partium cœli, ſed ſecundum diuerſas eius virtutes, & puncta fixa & immobilia Orientis, Occidentis, Meridiei, Septentrionis, quæ ibi effinguntur ex virtute intelligentiæ mouentis, & facientis nobiliores

*Cap. 2.*

*Cœlũ vt animal quoddã.*

operationes in vna cœli parte, quàm in altera. Sic ille. Quam quorundam Ariſtotelis interpretum ex tribus hac de re opinionibus tertiã, eámque cęteris veriorem putat Albertus Saxo, ſeu de Saxonia vulgo nuncupatus, dictas videlicet in cœlo differentias, diſtinguendas ex diuerſa influentia intelligentiæ mouẽtis in vnam & aliam partem. Vnde, ait, imaginandum eſt, quantùm ad hoc de intelligentia ad cœlum, ſicut de anima intellectiua ad corpus, in quo toto & qualibet eius parte tota ea ſit: maiorem tamen cauſat influentiam in vna quàm alia. Sic proportionabiliter, ad cœlum intelligentia, vt cœli pars, in qua intelligentiam maiorem cauſat influentiam, dextra dicatur, à qua ideo moueri incepit, vel incepiſſet, qualis eſt Oriens: & ei oppoſita, ſiniſtra. Hæc ille. Quod ſi ex Philoſophi litera vrgeat aliquis, dicẽtis eas ſex differentias in cœlo ponendas, quas in perfectis animantibus liceat intueri, cœlum autem animatum eſſe, & proinde perfectè animatum, vrgebimus ex eadem, inquam, litera ponendum in cœlo & augmentum, nedum motum ſecundum locum, & ſenſum, nedum intellectum. Et augmentum enim eadem habet ibi litera ſumi, ſecundum ſurſum: & hunc, ſenſum ſcilicet, ab antè, vt à dextro ſecundum locum motus ſumitur, quo etiam in animalibus prior eſt augmentatio. Sed non obſtat quod in cœlo non ſit augmentatio, ibi dicta ſumi ſecundum ſurſum: neque ſenſus ſecundum antè ſumi dictus.

*Lib. 2. de cælo & mundo. quæſt. 4.*



Id enim Philoſophi dictum intelligi ſolùm de rebus naturalibus augmentum & ſenſum habentibus. Hæc ſatis ad eum locum, quo licet non temerè inuenias pro cœli animatu plus expreſſum, eum tamen alij aliter exponunt, non moderni tantùm, ſed & Priſci Ariſtotelici. Nam vti recitat Simplicius, Ioannes Grammaticus videns Philoſophum in hoc antiquis contradicere, quod cœli & cœleſtis corporis motus non eſt ab anima cogente ipſum manere ſempiternum, tenuit Ariſtotelem tenuiſſe cœlum non eſſe animatum. Et huius ei erroris fuiſſe cauſam locum hunc, non animaduertenti antiquos poſuiſſe cœlum habere cõtrarium, ac proinde de ſe eſſe corruptibile, ſed animam illi permanentiæ cauſam eſſe. Et ad hunc ſenſum negat Philoſopus cœlum eſſe ab anima cogente &c. quod etiam ex textu habetur, quia tunc ea anima beata non eſſet, vt potè cum labore &c. Vnde commentator ibi commentat. 6. Hæc, inquit, contradictio intrat eos qui ponunt hoc corpus habere contrarium motui animę. Sed quod Ariſtotel. tenuerit corpora cœleſtia animata anima intellectuali, quæ non mouet cum pœna & labore, demonſtratũ eſt in 8. Phiſicorũ & 2. cœli vbi expreſſa eſt Philoſophi authoritas in textu, commentat. 60. & 61. Quòd ea non ſunt tantùm corpora, imò ſunt & actione & vita participãtia. Et eſt locus

*Lib. 1. Cœli.*

diuulgatus notabilis, vt notant Grȩci expoſitores, & Com. quòd cœlum ſit animatũ. Hȩc M. Antonius Zimara Philoſophus clariſſimus in Tabulis & dilucidationibus in dicta Ariſtotelis & Auerrois. Et hic tamen tam in hoc, quàm in theorematum opere, cœlum, quando apud Auerroin dicitur eſſe compoſitum ex duabus naturis, ſumit pro toto aggregato ex orbe & intelligentia, vt orbis ſit materia, intelligẽtia forma. Cùm autem cœlũ dicitur eſſe ſimplex, ſumitur pro orbe tantùm: orbis enim ſeclusâ intelligentiâ ſubſtantia ſimplex eſt, non compoſita ex materia, vel rectius ſubiectum dicatur, intelligentiam recipiens tanquam formam perficientem, ſed non inhærentem. Quæ mens eſt commẽtatoris, quam Scotus ſolum videri, ait, in hoc habuiſſe mentem Ariſtotelis, & ita eſt ſine controuerſia. Et in Tabulis, corpus cœleſte non mouetur per potentiam exiſtentem in eo, ſed per potentiam non exiſtentem in ſubiecto omnino. Contra, inquit Zimara, groſſi-pedales, qui dicunt intelligentiam formaliter orbi inhærere. Et paulò pòſt, Vbi, ait, patet, quantùm moderni rudes in hoc defecerint, quod poſuerunt intelligentiam non poſſe mouere cœlum, niſi ei per informationem inhæreret: cùm tamen motus ſequatur ſimplicem perfectionem intelligentiæ per viam conſecutionis, non per viam principalitatis, &c. Hæc ille. Et quis tandem finis excutientibus Philoſophi &

*Theoremate.* 108.

*Cœlũ vt compoſitũ*

*Vt ſimplex.*

*Forma perficiens non inhærens.*

*Groſſi-pedales cœlorũ animatores.*



commentatoris ſuper hac cœlorũ animatione locos? Eſt vbi aiant cœleſte corpus ſimplex & homogeneũ, ſpirituale, diuinũ, non cõpoſitum ex materia & forma, vt corpora alia ſimplicia, ſiue elementa, ſed à materia prorſus abſolutum & abſtractũ, nec indigere in ſuo eſſe forma, vt eſt diſpoſitio corporum hîc animatorũ. Abſit enim vt ſecundum Peripateticos cõſtet ex materia & forma, ſic enim eſſet corruptibile. Eſt verò vbi negent materiam habere, niſi quæ in potentia tantùm in loco, mediam inter puram potẽtiam, & actum purum, localem nimirum, non generabilem, aut corruptibilẽ. Eſt contrà vbi aiunt cœlũ corpus eſſe naturale, ſenſibile, heterogeneum, duabus naturis compoſitum, materia & forma, vel potius ex aliquo quaſi materia & aliquo quaſi forma, & ſic æquiuocè nõ iiſdem certè aut ſimilibus generabilium & corruptibilium, ſenſibile tamen per materiam, & intelligibile per formam, animatorum & inanimatorum principium: Et corpus proinde neceſſariò animatum, & ita animal, quia ex corpore & anima congregatum, ſempiternum, viuum & intelligens. Cuius forma quodammodò anima, & quodãmodò intellectus eſt, quod & neceſſe eſt materiam eſſe animalium cœleſtium. Cœleſtes autem ſubſtantias, etſi non indigeant anima, quia ipſis neceſſaria ſit in ſuo eſſe, indigere tamen vt ſint animatæ, quia nobilius corpus nobiliorem gradũ habeat, opor-

*Ariſtotelis & Auerrois de cœlis diuerſa forſitam & aduerſa.*

*Cœli corpus.*

*Materia.*

*Anima.*

*Animal.*

*Forma.*

*Animalia cœleſtia.*

tet: animatũ autem inanimato nobilius eſt. Animatum verò per ſe & viuum, non per animam aut vitam (omne enim quod viuit per vitam, eſt generabile & corruptibile) Moueri porrò modò aiunt ex ſe, motu voluntario, à principio quod in eo eſt, ac proinde animal eſſe: modò negant, ſed à principio ſeparato, extrinſeco, incorporeo, quod ſic in eo eſt, vt pars tamen in eo ſiue eius non ſit, vt quæ virtus ſiue potētia mouens, neque corpus ſit, neque virtus corporea. Formam certè quâ mouetur, non eſſe generis formarum elemētarium. Breuiter, cœli motorem in eo exiſtere, ſed mouentem intelligentiam ab eo eſſe abſtractam. neque tamen deeſt vbi aiant cœleſtis corporis motiuas potentias eſſe formas in materia, & formam mouere ipſum corpus &c. vt animal cœleſte componatur ex vno mouente & vno moto, & formæ cœleſtes quodammodò animæ ſint, propter appetitum in eis exiſtentem. Cœli enim motus & actiones eaſdem eſſe cum motibus & actionibus animæ. Sic tamen vt cœleſtia corpora nec nutriantur, nec ſentiant, ſed moueantur tantùm & intelligant. de virtutibus enim animæ non habere niſi voluntatem ſiue deſideriũ, & intellectum. Contrà non deeſt, vbi ſentire iidem videantur, cœlos habere imaginationem quandoque in potentia, quandoque in actu per intellectũ, per quem & cogitēt, & ſolicitudinem erga nos habeant, moueri verò corpora cœle-

*Motus.*

*Motor.*

*Animal cœleſte.*

*Formæ cœleſtes.*

*Animæ virtutes, quæ in cœlo quę nō?*



ſtia erga principia ſeparata modo amoris & obedientiæ, quia animata ſint & viua, & fortè inuiſibilia quidē cognoſcere, ſed alia ratione, id eſt, illa qua cauſę generantes effecta ea, & euenta ſua cognoſcunt, hoc autem congruit dicto prophetæ, nunquid qui creauit, ignorat? Hæc ad verbum ex variis Philoſophi & commentatoris operibus & voluminoſo vtriáſque corpore, idem qui & vbi ſuprà, Zimaras, & Iulius Palamedes in Tabulis ad vtriuſq; opera, ſi quis ſigillatim locos velit conſulere, numeroſiores præſertim quàm vt potuerint huic commentariolo inſeri. Quorum quidā videntur non diuerſi tantùm, ſed aduerſi, & ex eorum numero quos autor ad Alexandrum Regem, diſcipulũ ſuum quiritantem foras eſſe vulgatos, & non vt arcana abſconditos, reſponderit editos eſſe, & non editos, iis enim ſolis qui eum vtique audiſſent, fore cognobiles. Adeò non clare conſtat, ex tam licet multis, quâ aut quali anima cœlos eſſe animatos is ſenſerit, & permultum abeſt, vt de hoc inter Peripateticos ſiue Ariſtoteleos cōueniat, etiāſi videtur propius inclinare ad veram & propriè dictā cœleſtiũ orbium animā. Vnde autore Suida Diodorus ille Monachus Polygraphus ſcripſit contra Ariſtotelem, de corpore cœleſti. Et contra eos qui animal dicunt eſſe cœlum. quod ſcriptum vtinam exiſteret, leuaturum hac nos fortè moleſtia, pro ſua tum eruditione, tum antiquitate, cla-

*Pſal. 93.*

*Gell. lib. 20. ca. 4.*

ruit, enim tempore Iuliani & Valentis Impp. & grauiſſimus item autor Plutarchus de placitis Philoſophorum ſic de Philoſophi huius hac in re ſententia ſcriptum reliquit, An mundus animatus ſit, & à prouidentia gubernetur? Ita eſſe reliqui omnes ſentiũt. Democritus autem, Epicurus, & qui præter hos Inane ſiue vacuum & Atomos introducunt, animę expertem mundũ faciunt, nec prouidentiâ, ſed naturâ quadam brutâ adminiſtrari, Ariſtoteles neque animatum totũ per omnes partes dicit, neque ſenſu, ratione, aut mente præditum, neque à prouidẽtia temperari. Nam cœleſtibus quidem hęc omnia adeſſe, quòd orbibus contineantur animatis atque animalibus. Terreſtria autem omnibus iſtis carere, & ordinem per accidens iis, non per ſe, aut à cauſa antegreſſa contingere, &c. Opponunt, quibus non ſufficit cœlũ Ariſtoteli moueri ab intelligẽtia non informante, ſeu dante eſſe formaliter, ſed aſſiſtente tantùm, ſeu vnita per contactum virtutis, ſimilitudinem plauſtri & bouis, nauis item atque nautæ, quaſi ſic cœlum non aliter quàm hæc, ſeipſum moueret, aut vnum ſiue vnitum ex mobili & motore foret. Reſpondetur longam latámque in iis eſſe diſſimilitudinẽ. Primò quidem ſecundum Ariſtotelem, ſubſtãtia ſpiritualis quæ cœlum mouet, virtutem habet ad talis corporis motum determinatam, & rurſum corpus cœli naturalem habet aptitudinem, ad hoc vt à tali ſubſtantia

*Lib. 2. cap. 3.*

*Vacuum Atomi.*

*Cœleſtia. Terreſtria.*

*Fr. Sylueſter in ſũma cõtra Gẽtil. lib. 2. cap. 79*

*Simile Nauis et nautæ plauſtri & bouis. Diſſimile.*



ſubſtantia ſpirituali moueatur: hoc autem in ſubſtantiis adductis non inuenitur. Secundò, in illis eſt contactus quantitatiuus, qui fit ſecundum extrema: at verò inter intelligentiam & corpus cœleſte vertutis tantùm contactus eſt, & in contactu quidem quantitatiuo oportet tangens ei quod tangitur extrinſecum eſſe, in virtutis autem contactu, qui conuenit ſubſtantiis ſpiritualibus, cùm ſit ad intima, ſubſtantia tangens eſt intra id quod tangitur. Ex his duobus euenit magis fieri vnum ex intelligentia & corpore cœleſti, licet ex iis quoque non fiat vnum ſimpliciter, ſed tantùm in mouendo, quàm vel ex nauta & naui, vel ex plauſtro & bobus: & conuenientius dici cœlum ſeipſum, quàm hæc iuncta ſeipſa mouere, quia cœlum vnitur motori, ſibi extrinſeco quidem, ſed ad eius motum naturali virtute determinato, quod illis aliis non conuenit. Niſi fortè plauſtri & nauis nomine acciperemus, illud quidem aggregatum ex plauſtro & bobus ei coniunctis, hanc autem ex naui & nautis, quo etiam modo concedi poſſet ea ex ſeſe moueri. Addit Zimaræ Tabula, etiam Auerroi aliter eſſe vnionem & compoſitionem in generabilibus, & aliter in æternis: in his enim vnum fieri appetens & intelligens, & motum in loco, non per formalem inhærentiam, quia intellectus nullius corporis eſt actus, &c. Et ad inſtantiam de nauta & naui. Homo, inquit, non

*Cõtactus duplex.*

*Vnio & cõpoſitio alia hic, alia illic.*

eſt forma ſimplex, ſicut intelligentia, ſed compoſitum ex materia & forma. Et alibi, patere ſecundum viam etiam Auerrois, in cœlo compoſitionem eſſe ex moto & mouente, non ex forma formaliter inhærente, informante orbem & perficiēte, ſiue Deo ipſo, ſiue aliâ intelligentiâ. Sic enim mouerentur ad motum orbium, ſaltem per accidens, vt formæ mouentur ad motum formatorum. Ex quibus eſt quod reſpondeatur Ricio (vt ad eum longo iam poſtliminio redeamus) opponēti, ſic & plauſtrum, quòd ab animali trahatur, animatum: hominē quòd ab aſino vehatur, feraturuè, aſinatum dicere fas erit, ſi cœlum vocetur animatum, ſolùm intuitu motoris ab extra, fatendum itaque ſic denominari à re intus exiſtente per modum formæ. Minimè verò id fateri cogimur, audiuimus enim intelligētiam, ſic orbi eſſe intrinſecam, vt tamen eius nec forma, nec anima ſit. Et cùm aſſumit denominatiuam prædicationem fieri à re intrinſeca, & inhærente per modum habitus vel formæ, omnium autem ſententia cœleſte corpus animatum vocitari: petit principium. Quàm enim in ore multorum eſt, cœlos eſſe animatos, tam parum probatum quo animarum genere. Neque certum magis, quòd paulò antè aſſumit, animam eſſe cœleſtis corporis primum viuendi principium, eſſe igitur eiuſdem formam vel actum. Sicut ad id quoque nec ſemel reſponſum eſt, quod ſubiicit,

*In vocabulo. Compoſitio.*

*Intelligētia cœli nec forma nec anima.*

*Denominatio à quo fiat.*



Perfectius eſſe corpus cœlum, ideo & eius perfectiorem eſſe formā, ſcilicet animā, perfectionis nimirū ſimpliciter, & ſecundū quid diſtinctione, ac æquiuocatione. Quartò & poſtremò argumentatur Ricius ex ordine rerū, & vniuerſi nexu, extrema enim niſi per medium non iungi, in rerum autē latitudine diſtare, vel maximè intellectū & corpus: hæc ergo nō iungi, niſi per medium, quod extremorū particeps eſt. Qualem cōſtat eſſe animam, eſſentia quidē æternitatis, vt cęteri puri nudíque intellectus, participem: opere verò, vt entia corporea, temporis & motus. Hoc animæ genus Academicos vocare vinculum vniuerſi, ad exactam mundi vnionem, rerúmque nexum. Et Auerroës ſpirituale orbis ligamen pronunciat ipſum vniuerſum magis ac verius vnum conſtituere, quám caducorum anima proprium & organicum corpus aduuet. Sic apud Archangelum (vt & hîc Ricium iuuem) Card. cuſanus. Vita illa mundi, qua ſeipſam & omnia mouet, perpetua eſt, ad quam animā totus corporeus mundus ſe habet, ſicut corpus hominis ad propriam animam. Sic libellus de cauſa, animam in æternitatis & temporis collocat orizonte. Hactenus Ricius. Reſpondetur, cœlum non cœli animam, ligamentum eſſe inter generabilia & corruptibilia, & incorporea entia, non ſemel eſt apud Ariſtotelem. Citante Zimara, nec interpretante. Sed ſi ligamen, ſiue me-

*Perfectio duplex.*

*Extrema per mediū iungi.*

*Vinculū vniuerſi.*

*Cœlor.* 1. *com.* 22. *Phyſic.* 8. *com.* 15. *neteror. initio.* mediũ particeps oportet extremorũ eſſe, quod ſubſumit Ricius, videt ipſe quod ſequitur contra ſuos Peripateticos, cœlum videlicet ortus & interitus eſſe particeps, ac incorporeum. Quid quod Ricius ipſe vbi ſurſum ac deorſum euoluit omnia, eodem tamen loco docet ex

*Animal ligatũ & nõ ligatũ* Auerroe ſuo, animal ligatum ſiue caducum, & animal diuinum, non ligatum (cœleſte opinor) non dici vnum, niſi æquiuocè? Vt & propoſitiones quæ in manibus noſtris ſunt, in quæſtionibus de diſpoſitionibus cœli, ferè dicun-

*Cœlor.* 2. *com. diſt.* 61. 71. *Æquiuocæ propoſitiones de ſuperis et inferis.* tur æquiuocè, quia exceptæ ſunt ab animatis quæ ſunt hîc, & de iſtis & de illis dicitur animatum ferè æquiuocè. Vnio autem modus entium eſt, qui æquiuocè ferme dicitur de ſuperis & genitis. Hæc ille. Atqui toties antè ex Thoma dictum, cœlos eſſe animatos, non eo quo plantæ modo aut animalia, ſed æquiuocè. Quod & in ſchola Peripatetica, adeóque in

*Rhodigin. lection. Antiqua. lib.* 1. *cap.* 12. *Materia prima.* omni Philoſophia verſatus Cœlius, ex eiuſdem decretis ſic exequitur, ſi cœlum ſit animatum, cuius materiam Dionyſius Areopagita primam vocat, id eſt optimam puriſſimámque, tunc dubio procul principia motuum animę in eo concedenda, ea verò ſunt ſummum, infimum, dextrum, ſiniſtrum (de hoc argumento ſuprà, initio locorũ Ariſtotelis hac de re) cùm

*Anima æquiuocè.* verò cœlum habere animam dicimus, & terreſtre item animal, æquiuocè ſumetur anima: nã quæ dicitur in cœlo anima, ſubſtantia intelligi-



tur ſeparata, quæ nõ ſit alicuius actus corporis, nec actum habeat in corpus aliquem, niſi localis motus, quem infundit. Proinde ab eminentiſſimis traditum ſcimus, cœlum nullatenus habere animam, quando ſubſtãtia ſeparata rationem animæ nullam habet: nec enim eſt obligata corpori, ſic vt actio eius ſit nõ libera. Sic ille, Quæ animarum ęquiuocatio adhuc confirmatur Riciana paulò pòſt diſſimilitudine, Nam contrà argumentanti, ſi qua intellectualis ſubſtantia cœlo vt forma vnitur, cauſabit in eo vtique formalem formę effectũ, eſſe nimirum exiſtere: habebit ergo cœlum eſſe per animam, & minimè ex ſe, ſuapte ſic potentia ad non eſſe, adeóque & generabile & corruptibile. Negat conditionalem aſſumptã Ricius, niſi in ſubcœleſtibus, vt quorum materia cùm ex ſe non habeat eſſe exiſtere, id ei forma det. Cœleſtium autem materia, ſeu mauis ſubiectũ, habet ex ſe quod exiſtat, aliunde verò (videlicet ab anima) quod viuat & intelligat. Sed quid hoc eſt dictu, niſi cœli animã, animã eſſe, & quæ animæ ſunt, in cœlo non agere? Forma enim dat eſſe rei, nedum viuere & intelligere. Et hæc ſolutio nonnihil affine habet cũ dogmate olim iam improbato, quòd in homine plures ſint formæ aut animæ, quaſi aliunde exiſtat, aliunde ſentiat, aliunde intelligat. Iam verò quale eſt ex ſubiecto exiſtẽte actu, & anima per ſe itẽ exiſtente, ex his inquã, duobus per ſe exiſtẽtibus, vnũ tertiũ fie-

*Forma dat eſſe rei.*

*Pluriũ in vno ſubiecto animarũ improbatio.*

*Ex duob⁹ vnum tertium.*

ri per ſe ens? Poſtremò percunctanti qualiſnam ſit modus ille cœleſtis corporis informandi, non ſoluit, ſed magis litem lite reſoluit, Talis, inquit, qualis ipſa cœli natura eſſentia, de hac ſi me certiorem feceris, de illo mox informandi modo intelligẽtem te reddam. Alia, inquienti, cœli eſt natura, quàm ſubcœleſtium, non grauis, non leuis, non genita, nec corruptibilis. Ego pari, ait, lege dicam cœleſtem hunc informãdi ſeu vnionis modum, non eſſe ſecundum modum informandi naturæ leuis &c. Sed quid hoc eſt aliud quàm alios implicare, & ſeſe non explicare? Denique concludit ſatis eſſe nihil apparere in rebus ſenſui ſubiacẽtibus, quod hãc animæ cum cœleſti corpore vnionẽ tollat. Per multa verò apparẽt, & quidẽ tam prægnantia & pugnantia, vt ea niſi cœleſtiũ & ſubcœleſtium diſſimilitudine ac æquiuocatione euadere magis quã ſoluere, ne Ricius quidẽ potuerit. Hęc & illa videlicet animata eſſe, ſed aliter atq; aliter, adeoq; æquiuocè, quod & agnoſcimus.

*Ignotum per ignotius, vel æqua ignotum.*

## *Platonica & Philoniana.* *Cap. IX.*

SEquitur eadem de re ſchola Platonica, nam & hanc Ricius, aliique cœlorum animatores ſecum aſtruũt vnanimem, ſed gratis quidem Ricius, nec enim probat. Probemus igitur vel potius probare tentemus. Ait ergo Plato, Cùm ab anima cuncta circunducantur, neceſſe

*Lib. x. de legib.*



eſt cœli circuitum ab anima non contraria, ſed optima, procurãte, exornantéque, ſiue vna, ſeu pluribus, & hæc omnia ſinguláque ſydera circumagi. Solis quidem (quod & aſtris omnibus accommodari poteſt) Solis inquam corpus omnes vident, animam nemo, vt nec alterius animaliũ corporis, viui aut mortui, ſed quod nullo corporis ſenſu percipitur, mente ſola comprehenditur. Cùm igitur ſolem anima moueat trium aliquo modorum fortaſſe hoc fieri. Aut enim intus in hoc rotũdo corpore exiſtẽs quolibet ipſum trãsfert, vt anima nos noſtra quolibet ducit. Aut foris quidem eſt, & corpus aliquod ignis nacta vel aëris, vi corp' corpore pellit, aut nuda corpore, alias tamen vires ſupramodũ mirabiles habẽs, perfacilè ducit. Ex hoc loco negat Rhodiginus colligi Platonem ſic animas globis cœleſtibus incluſiſſe vt corporib' humanis alligãtur, ſed tãta inſigniri poteſtate, tantáq; virtute à Deo ſummo donari, vt diuina cõtemplatione perfruãtur, iniunctum interim ſibi cœleſtiũ orbiũ mouẽdorũ munus obeũtes, nullo labore aut laſſitudine, pro patris nimirũ ſui volũtate, & iis regẽdis inferiora quoq; facilè gubernare, vt animas Plato vocet, quos Dionyſius angelos, verborum differentia, nõ ſenſuum. At in eundẽ legũ locũ Ficinus. Vniuerſum, ait, anima vna, multas ſphæras multis agi Plato probat, & aut ita globis ineſſe, vt animam noſtrã corpori, aut ſic adeſſe, vt moueat,

*Mouendi modus triplex.*

*Lib. 1. cap. 12.*

*Ex Ficino in conuiuium oratione 6. cap. 3.*

non viuificet:moueat autẽ,ſiue mirabili ſolùm mouendi potentia, ſiue quodã inſuper medio. Quorum triũ nullũ licet præ cęteris manifeſtè hîc Plato eligat, Platonici tamen omnes primũ eligũt,vt ex globo & anima animal vnũ efficiatur, idémq; ſenſiſſe Ariſtotelem & Theophraſtũ.

*Anima cum cœlo mouetur.*

Nam argumẽtatio qua cœlũ hîc efficit animatum,animã innuit vnà cum cœlo moto moueri. Quod niſi ex ea & globo vnũ animal fieret, motor immobilis eſſet, nõ mobilis. Sequitur apud Platonẽ, Præſtat vt ſiue curru quodã intrinſecus teneat corpus illud eius anima, luménque ita cunctis effundat, ſiue foris ſit, ſeu

*Sol Deus.*

quomodocunque, Deum eſſe ipſam omnes arbitrentur,niſi quis extrema dementia teneatur.

*Stellæ dij.*

Idémque de vniuerſis prętereà ſtellis dicendum. Quoniã animæ omnibus virtutibus præditæ horum omnium cauſæ ſunt, deos eas eſſe, ſiue in corporibus ſint, & tanquam animalia quædam cœlum exornent, ſiue quomodocunque aliter id agant. Quibus conceſſis, negari non poſſe plena eſſe Deorum omnia tantùm abeſt, vt de Diis ambigi poſſit.

*In Epinomide.*

*Æther. V. corpus.*

Et alibi, Æthera, quod præter Elementa quintum corpus eſt, non minus quàm ea quatuor, animalibus eſſe plenum cœleſtibus, diuinorum nimirum aſtrorum genere, quod pulcherrimo corpore, animáque beatiſſima cõſtitutũ eſt. Ea cum circuitu ſuo vniuerſo,quia ſemper eadẽ agunt, oportebat argumẽto eſſe quòd mentẽ habeant.



Maximo enim miroq; tẽporis ſpatio iam antè quid ſibi agendum, deliberarunt. Nec ſurſum deorſum,modò hoc,modò illud probant. Vnde nec errant, nec præter antiquum ordinem reuoluuntur. Multis autem contrà viſum eſt, hæc quia eadem & ſimiliter ſemper agunt,animam non habere.

*Sic Lactãtius ſuprà cap. 2. cõtra Stoicos.*

Quam inſaniã ſecutum vulgus, genus humanum, quia mouetur, vitam mentémque habere putauit: Diuinum, quia in eiſdem permanet lationibus, mẽte carere. Decebat autẽ melius ſentire, quòd mentẽ habeãt, quæ per eadẽ ſimiliter eadẽ ſemper agant: hãc eſſe aſtrorũ naturam viſu pulcherrimã, & progreſſu ſuo cunctis animalibus commodam,quę ipſorum quoq; magnitudo animata eſſe teſtatur. Horum ergo cauſa Deus eſt, cui facile fuit eis vitam tribuere. Impoſſibile alioqui, terram, cœlũ, ſtellas, & quæ ex his conſtant moles, niſi anima ſingulis aut adſit, aut inſit, ratione adeo exquiſita annis, mẽſibus, diebus circumuolui. Cœleſtia igitur ſiquis ab alio quoquam fuiſſe facta, nec ex anima & corpore conſtare contẽdat, ſtultus & imperitus eſt.

*Cœli aut Dij, aut Deorum imagines venerandæ.*

Sed duorum alterũ oportet, aut deos eſſe hæc, & quidẽ rectiſſimè, aut deorũ imagines ab ipſis artificibus digniſſimis fabricatas, & quibuſuis ſimulacris magis venerandas. Nulla enim eis pulchriora, hominibúſque communiora,in excellentioribus locis locata, puritate, maieſtate, & perpetua vita pollentia, quàm hæc quibus totum cœlum ani-

malibus impleuit anima, immortalibus, diis viſibilibus & maximis, ſummoperè honorandis, acutiſſimóque & vndique cuncta videntibus, &c. Idẽ & alibi Cùm vellet mundi architectus mundum intellectuale animal facere, neque poſſet intellectus abſque medio adeſſe corpori: coniunxiſſe intellectum quidem animæ, animam verò corpori, ita vt medio infuderit mũdo, & inde per cuncta diffuderit, &c. Extat Timæi Locri philoſophi Pytagorici, quem hîc Plato loquentem inducit: libellus de animo mundi inſcriptus, ſic de hoc breuiter dicens. Hunc mundum cùm bonus eſſet Deus, fecit vnum, vnigenam, perfectum, abſolutum, animatum, rationis participẽ, præſtantiora enim hęc, quàm quod inanimum, & rationis expers. Sed hic Timeus illius argumentũ eſt, vel epitome. In Platonicum ſic Calcidius, Quinque, ait, regiones vel locos Plato eſſe dicit in mundo animaliũ capaces, horũ cœleſtẽ ſummũ & maximum, conuenientibus ſuæ vtrunque naturæ animalibus, ratione ſcilicet vtentibus cœlebrẽ, illum ſtellis, hunc hominibus. Abſurdũ enim eſt homines quidẽ vnam mundi regionẽ inhabitantes fragili corpore, animo cum amẽtia, & ſine ſynceritate, pleno pœnitudinis, ob inconſtantiam commotionum ſuarũ, alias aliis atque aliis placentibus rationabiles animãtes putari, ſtellas verò prudẽtis naturæ ob æternam actuũ ſuorũ conſtãtiam, nulli pœnitudini obnoxias,

*In Timæo*

*Mũdi loci V. animalium capaces.*



puro minimeque diſſolubili corpore, vt pote quæ extimas ignis cuncta ambiẽtis regiones incolant, ſine anima eſſe, carere etiam vita putare, &c. Quin & vbi paulò antè idem Plato, bonorum omnium, & ſic maximi boni, prudentię dico, autorem Deum facit. Quem autem Deũ? dicam, ait, etiamſi abſurdus videbor. Quem, ait, Deum laudibus effero? Cœlum ferme, quod par eſt, ſicut dæmones alij ſimul omnes, cæteríque Dei faciũt, nos quoque honoribus colere, ac præcipuè adorare, omniúmque cœterorum bonorum cauſam nobis cœlum fuiſſe omnes cõfiteri. Cœlum ergo Platonici Deum vocant, & ſummum ideo Deum, quia ſicut cœlum iſtud ſublime corpus omnia corpora tegit & continet, ſic ſummus ille Deus omnes ſpiritus ſupereminet, ait quidem Platonis non interpres modò, ſed defenſor quoque, & vt ita loquar, excuſator. In ſideribus autem eſſe ſenſum Plotinus, Hermiáſque diſputant, viſum propriè atque auditum, ſed in alio quodam genere, longéque præſtantiore, quàm ſenſus animalium terrenorum. At Alcinous de hoc in doctrina Platonis, nullo allegoriæ nubilo vel inuolucro. Perſpicuũ, ait, igitur eſt, dici poſſe, mundum eſſe animal, idq; intelligẽs. Nam cùm eum optimum efficere vellet Deus, conſequẽs fuit, vt eum & animatũ & intelligentem efficeret. Et opus enim animatum non animato, totũ toto melius eſt, & intelligens non intelligente,

*In Epinomide.*

*Cœlum Deꝰ ſummus.*

*Ficin. in conuiuiũ oratione. 2. cap. 7.*

*Idẽ in X. de legib.*

*Cap. 12.*

cùm fortaſſe ſine anima mens cõſtare non poſ-
ſet. Et paulò pòſt, Omnes autem ſtellæ anima-
lia ſunt intelligẽtia prędita, & Dij. Hęc ibi. Sed
*Cœlũ vt* ſiquidẽ & cœli & ſtellæ nõ animales modò ſũt,
*alatur.* ſed Dij quoque, quorſum eis opus alimento.
*Plutarch.* Breuiter contrà Ariſtoteles ſic, Si alitur mun-
*de placitis* dus, etiam peribit: at nullo indiget nutrimento,
*phõr.* ſempiternus igitur eſt. Plato autem ipſum mũ-
*lib. 2. cap.* dum ſibi eorum quæ intereunt mutatione ſup-
*5.* peditare nutrimẽtum. Ignita, ait quidam alter,
*Suidas in* & aſtra cætera quidã ali putant: Solem magno
*vocabulis* mari, qui ſit tardũ quoddam incendiũ, Lunam
*ἀναμ-* verò aqua dulci, quæ ſit aëre miſta, & terræ fi-
*μα, &* nitima. Reliqua aſtra terra. Quo ſpectaſſe fe-
*πᾶν.* runt poëtam ibi.
*Anæid. 1.* *Connexa Polus dum ſidera paſcet.*
Vbi Seruius, Paſci enim aquis marinis ſidera, id
eſt, cœleſtes ignes, Phyſici docẽt. Sidera, inquit
*Lib. 2.* Plinius, haud dubiè humore terreno paſcũtur,
*cap. 9.* quia orbe dimidio nonnũquam maculoſa cer-
*Lunę ma-* uatur Luna, nondum ſuppetente ad hauriendũ
*cula.* vltrà iuſta vi: maculas enim nõ aliud eſſe quàm
raptas cum humore ſordes. Et alibi, In dulci-
bus aquis eſſe Lunæ alimentum, ſicut Solis in
*In Qua-* marinis. A quâ vanitate non ita ferè abeſt Pto-
*dripar-* lomæus. Lunam ideo humectiorem eſſe, quia
*tito.* humidus vapor à terra ad eam ſideribus aliis
terræ propinquiorem, affatim conſcendat. Et
hac ratione Saturnum ſicciorẽ, quòd ab hiſce
vaporibus longius abierit. Manilius item.



*Ignem flatus alit vicinis ſubditus aſtris.*
Tullius ſub aliena licet perſona Stoicorũ. Sũt, *De natu-*
inquit, ſtellæ natura flammeæ, quocirca terræ, *ra Deorũ*
maris, aquarum vaporibus aluntur, qui à ſole *Lib. 2.*
ex agris tepefactis, & ex aquis excitantur, qui-
bus altæ renouatæque ſtellæ, & omnis æther
refundat eadem, & rurſus trahat, vt nihil ferè
intereat, aut paululũ. Diſtingunt Stoici ex Por-
phyrij theſauris, Ali Solem ex maris euapora-
tionibus: fontium ac fluminum, Lunam: aſtra
ex terrę anathymiaſi. Hęc opinio ab Ægyptiis *1. Euapo-*
ſacerdotibus primùm orta, mox in multos pro- *ratione.*
pagata eſt. Oceani ſcilicet humore cœlum ali,
ſtellâſque vbi humorem conceperint, deſcen-
dere, ac retrogradas fieri, donec humore iterũ
percocto digeſtoque aſcendant, exaturẽtúrq;
ac dirigantur. Quod Auicennas reiicit, nullo *Lib. De*
id pacto phyſicam pati rationem ſiue nutriẽtis *cœl. &*
proprium expendas, ſiue connutriti, necnon *mundo.*
crementi notionem, quod ex alimento corpus
recipit dimenſionibus tribus, &c. Hac enim ra-
tione cœlũ augeri, quod fieri nequit, niſi om-
nino concipiatur adiici ei quippiam, attrahi,
infundi, vt ingeritur animalibus cibus, vt quod
perierat, reſtituatur: tunc neceſſariò ſequi, vt
nutrimentum digeratur, mutetúrque, & cæte.
Videatur apud Rhodiginum latior hæc ratio- *Lib. 1. ca-*
cinatio. Plotinus item Platonicus ſic ferè ſcri- *pite 13.*
bit. Alimoniam non requirunt, nec enim ex *Lib. de*
inopiæ noſtræ affectione ad eandẽ librã ſeuo- *cœlo.*

vocanda ſublimia. Ibi nõ compar animæ ratio, non regio, non cauſa vlla, ex qua infima hæc profluentia continuè nutrimentum neceſſariò appetunt. Abſit ergo ab illis permutatio, quæ noſtris corporibus dominãs ex habitu naturæ deturbat. Hæc ex Platonicis in vtranq; partem. Adde veterum, imò gentiũ omnium conſenſu, cœlum Deo & ſubſtãtiis diuinis ab omnibus attribui, vt immortalibus rebus immortalem locum, aptiſſimum, quod inter corpora reliqua cœleſte ad ſimilitudinem ſpiritualiũ ſubſtantiarũ amplius accedat, mundi nimirũ pars nullius indiga, nihílq; patiens, quippe in qua quippiam in tam numeroſa annorũ ſerie commutatum nemo obſeruarit. Nam hac ratione Cœli habitaculum Deo attribuitur & coaptatur, corporalis vtiq; loci alioqui non indigo, &c. Proinde tota hæc cœleſtis ex rebus infernis alimonia, poëtica magis eſt, quàm Platonica. De qua Beda noſter non minus eleganter & aptè, quàm breuiter, Aliter, inquit, abſorbet aquam terra ſitiens, aliter radius Solis cãdens: illa indigẽtiâ, iſte potentiâ. Redeuntibus igitur ad cœlorũ animationẽ occurrit Philo, Iudæus quidẽ, ſed adeò Platonicus, vt de illo vulgatũ illud ſit, Aut Plato Philoniſſat, aut Philo Platoniſſat, quaſi Plato alter, ſic Platonis in dicendo philoſophiã expreſſit ſeculis aliquot anteriorẽ. Rerũ, ait, in natura, aliæ nec virtutis participes, nec vitij: vt ſtirpes, quia inanimę, & bruta, quia

*Ariſtotel. Lib. 2. de cœl. cap. 1.*

*Cœlũ dei & immortaliũ locus.*

*In Luc. cap. 24.*

*Hierony. in catalogo.*

*Suidas.*

*De mũdo opificio.*



mẽte carentia. Aliæ ſola virtute præditæ, nihil habẽtes vitij, vt ſtellę, nam & hæ animalia ſunt, & quidem intelligentia, vel potius mentes ſingulares, totæ quantæ probæ, nihil habentes vitij. Et aliquantò pòſt, Huius ciuitatis ac Reipublicæ (mundi) oportebat quoſdam ante hominem quaſi magnæ vrbis eſſe ciues. Quoſnã verò alios, quàm rationales diuinas naturas, partim intelligibiles & incorporeas, partim nõ ſine corporibus, quales ſtellæ ſunt? Et alibi. Animantes, vt nos vocamus, huius vniuerſi grandioribus inditæ ſunt partibus, terræ terreſtres, aquæ natatiles, volucres aëri, ignigenæ igni, in cœlo ſtellæ, ſunt enim & hæ animantes intellectu præditæ conſenſu philoſophantium. Et, neceſſum eſt vt totus mundus in omnibus ſui partibus animata habeat, quando primariæ partes eius elementares, ſibi apta cõtinent animalia, terra terreſtria, mare ac animos aquatilia, ignis ex igne genita, Cœlum item ſidera, hæc enim in totum animæ ſunt immortales diuinæque, & ideo in orbem mouentur, qui motus menti cognatus eſt, quorum ſingulorum mens eſt integerrima: Et alibi, Quid ſtellæ? Suntnè terræ moles ignitæ? nam quidam eas aiunt colles ſaltúſque ignitos, digni piſtrino & carcere, vbi hæc inſtrumenta ſunt torquendis impiis iſtorum ſimilib⁹, an fortè ſunt denſi glomi quidam ætheris non diſſimiles? Sed animatine ac rationales, an ratione ſimul caren-

*Mundus ciuitas.*

*Lib. 2. de Noë.*

*De Gigãtibus.*

*De ſomniis.*

tes & anima ? Cui velut reſpondens, tertiò eadem quę ſuprà, ſic repetit, Quia opifici mundi omnes eius partes implere animalibus placuit, ideo terreſtria terris attribuit, mari fluuiíſque indidit aquatilia, Cœlo vero ſidera. Nam hæc ſingula non ſolùm animalia dicuntur, ſed & mentes puriſſimæ. Et quòd paulò antè de ſtellis, iuxta quoſdam, ignitis, reiecit, reiicit & alibi ſic, Qui mūdi exuſtiones inſtaurationéſque inducūt, deos fatentur ſidera, quæ tamen imprudenter ſuis verbis enecant, Satius fuiſſet ea lapides ignitos dicere, ſicut quidā de cœlo nugantur quaſi de carcere, quàm diuinis cœleſtibúſque naturis immortalitātem debitā adimere, &c. Sic ferunt Anaxagoram reum Athenis factum, quia ſolem eſſe dixiſſet lapidē ardentem, ſiue cādentis ferri laminam penitus ignitam. Eum enim prędixiſſe, qui circa Ægos fluuiū contigit lapidis lapſum, quem ex ſole caſurum dixerit, eaque inductum ratione Euripidem eius diſcipulum, in Phaëthonte ſolem aureā Glebam appellaſſe. Sed & cùm ſub principe Dimylo lapis ſiue idem, ſiue alter de cœlo cecidiſſet, eundem tum dixiſſe, cœlum omne ex lapidibus eſſe compoſitum, ac vehementi conſtare circuitu, continuò alioqui ſumma vi impetus lapſurum. Quo nomine à Cleone impietatis accuſatum, à Pericle diſcipulo defenſum, pecunia & exilio mulctatum. Et hic tamē qui cœlum & Solem vel ferreum vel lapideum diceret

*Quod mūdus ſit incorruptibilis.*
*Auguſtin. de ciuitate Dei. lib. 18. cap. 41.*
*Diogen. Laërt. lib. 2.*
*Sol lapis an ignis aut ferrū ardens?*
*Sol aurea gleba.*
*Lactant. lib. 3. cap. 9. & 23. Et lib. 6. cap. 2.*



diceret vel igneum, rogatus cuiuſnā rei cauſa natus eſſet, inſpiciendi, aiebat, cœli, & Solis, & Lunæ, quam & nugabatur habitacula in ſe habere, & colles & valles. Non inueniens puto, quid reſpōderet, effudit hoc paſſim ex tempore, ne taceret. Niſi fortè alti⁹ de his ſenſit, quàm hoc prætendere videtur eius apophthegma, & harum creaturarum cōtemplationē creatorem admiratus eſt. Quod tum magis coniiciemus, ſi cum hoc apophthegmate aliud eiuſdem cōferemus. Nam cùm ei patriæ neglectus obiiceretur (rem enim & priuatam, quàm ſuis ſponte conceſſit, & publicam, quam reliquit, & ad cōſiderandam rerum naturam ſe contulit, omnino neglexit) cuidam ita ſe compellanti, Nullāne tibi patriæ cura eſt? dixit, Mihi verò patriæ cura eſt, & quidem ſumma, digitum in cœlum intendens. Idem propemodùm ſi non ſentiens, certè dicens, quod tantò poſt eum Paulus, Noſtra conuerſatio, Πολίτευμα, ciuitas, municipatus, in cœlis, &c. Sed quicquid is ſenſerit, & quantulùm ex cœleſtibus ad Deum fortè aſſurrexerit, cuius opera mirabatur, quorum cùm ille ſe quaſi teſtem laudatorémque in mundum induxiſſet, metiri animo prouidentiam debuit, Etenim neceſſe eſt vt multò mirabilior ſit, qui hæc mirabilia perfecit. A quo etiam facti inſpiratíque ſumus; nō vt cœlum & Solem videremus, ſed vt vtriuſque artificem Deum pura & integra mente coleremus.

*Laërtius.*
*Cœlum patria.*
*Phil. 3.*
*Lactant.*

## *Hebraica, Cabaliſtica, Thalmudica.* Cap. X.

ATque hic ſit Platonis & Platonicorũ hac de re placitis tandem finis. Venio ad allegorizantes, vt loquitur Ricius, Hebræos, nam & in priſcis, quos & hîc ſecũ ſentire facit, Chaldæis, nihil huius vidiſſe memini. Inter Cabaliſtarum ſelectiora obſcurioráque dogmata à Ioanne Pico ex eorum commẽtationibus pridem excepta, dicitur ab eis in poſitione penultima. *Linea viridis.* Quòd linea viridis gyrat Vniuerſum. Horum interpres & illuſtrator Archangelus Burgonouenſis *Anno 1564.* longo diſcurſu contendit linea viridi ſignificari animam mundi, Maximè primi mobilis, Cuius ecclíptica girat vniuerſum, cum ſit vltimum cœlum cuncta ambiens. Hanc autem animam Deum eſſe ita Vniuerſum conſtringentem, continentem, & viuificantem, & in omnia creata fluxum omnigenũ influentem, *Color viridis.* ſicut color viridis capax eſt cuiuſcunque alterius coloris, & nullius renuit mixtionem. Hanc Lineam à Cabaliſtis aliis vocari vltimam Midah, ſeu proprietatem, omnes influxus Sphiriſtici ordinis includentem, aliis Cheter Elion, id eſt, coronam ſupremam, à qua tam à dextris quàm ſiniſtris decidunt primò diuini omnes influxus. *Nomen Dei quadriliterũ.* Aliis hanc eſſe nomen tetragrammatum I H V H, à quo deſcendunt X I I. reuolutiones, quæ X I I. ſigna archetypa dicuntur, &



præſunt X I I. ſignis cœleſtibus, cuius tetragrammati linea ecclíptica eſt ipſum nomen, quod præeſt primo cœlo archetypo, quod omnes reliquos alios diuinos circundat, & in illos influit. Hac ergo linea, hac anima cœlum vult hic autor animatum eſſe, & cœleſtia corpora, & ita mundum admitti poſſe eſſe animatum, ſeu animal. Et huc totum propè conuerrit Ricium, ſic eum ad verbum compilans, vt nec nominet quidem. Proinde quod Ricio reſponſum eſt, ſit & Archangelo quoque reſponſum, vt in quo pauca admodum ſint, non ferè Riciana, quæ ſuis quæq; locis in hoc tractatu occurrent. Hebræos igitur ſuper hoc dogmate aliũde conſulamus. Chalcidius ante annos duodecies centũ (Scripſit enim ad Oſium illum Cordubenſem Sardicenſis Synodi præſidem) priſcorum penè omnium varia calluit dogmata, de iis tam ingenuè, tam nõ affectatè de ſingulis locutus, neque magis vni quàm alij familiæ addictus, vt ſubinde in dubium Auguſtino Iuſtiniano, *Anno. 1520. in præfatione.* viro linguarum peritiſſimo, venerit, hebreuſne fuerit, an Chriſtianus, ita ſe gerere medium inter vtroſque videtur. Is ergo, quo vbi antè inter Platonica loco, ſtellas ex Platone *In Timæũ* vult animales & rationales eſſe, ſubiicit. Cui rei Hebræorum quoque ſententia concinit, qui perhibent exornatorem mundi Deum, mandaſſe prouinciam, Soli quidem, vt diem regeret: *Sol.* Lunæ verò, vt noctem tueretur: *Luna.*

*Stellæ.* cæteras quoque ſtellas diſpoſuiſſe, tanquã cœli limites, annorúmque ſigna, indicia quoque futurorũ prouentuum. Quæ cuncta certè tam moderatè, tam prudenter, tam iugiter cõtinuèque agi, ſine rationabili, quin potius ſine ſapiẽtiſſimo rectore nõ poſſent. Quare cùm ſit diuinũ quidẽ & immortale genꝰ animaliũ cœleſte, &c. Nã reliqua nihil huc pertinẽt. Vult igitur Chalcidius Hebræos ſentire Solẽ, Lunã, ſtellas, vt animantes rationis capaces, diuinũ mandatũ accepiſſe, eiq; vti tales obedire. At laudatiſſimo viro laudatior Dionyſius, ex philoſopho Chriſtianus, Solẽ iſtũ ſenſibilem noſtrũ, quiq; ſecundũ nos eſt, mauult, non cogitatione aut electione, propoſitione aut deliberatione, ſiue non cogitantẽ ratiocinantéve aut eligentẽ, ſed eo ipſo quod eſt, ſiue ſuo ipſius eſſe, & ſecundũ ſuã ſubſtantiã, illuminare omnia, quæ pro ſuo modo atq; captu, lucis eius luminíſve cõſortiũ atque participationẽ admittere poſſunt. Hæc Areopagita. *De diuinis Nominibꝰ, cap. 4.*

Diuina porro ad cœlos & ſtellas, vt ad elementa hęc inferiora, res vtiq; inanimatas, mãdata, per proſopopæiam exponẽda eſſe, anteà monitũ eſt. *Proſopopæia.* Quo tropo apud Prophetas, cùm quod à Deo fuit præceptum aut vetitum, promulgatur, citantur cœlum & terra teſtes: aut etiam per metonymiã. *Metonymia.* & per hũc enim etiã tropum Ioan. Picus, tantus vtique Cabaliſta, ſuperiora expedit, ita. *In Heptaplo. lib.3. cap.5.* Fauent etiam terræ huic noſtræ animæ, cœleſtes etiam virtutes. Poſita



enim in firmamento & Sol & Luna & Stellæ, vt terram noſtrum illuminent. Nam cùm prima hierarchia ſuper cœlos, id eſt, ſupra omnẽ actionis motum, ſupráque rerum omnium mũdanarum adminiſtrationem, contemplationi tantùm addicta ſit, tertia, ſiue vltima curandis rebus quæ ſub Luna ſunt, id eſt, humanis, delegata, Mediæ cœleſtium demãdata adminiſtratio: *Angelorum hierarchiæ. Cœleſt. hierarch. cap.3.* hoc (Moſis) loco nec violentum, nec alienũ à ſacris literis exiſtimemus, quòd Lunã & Solem vocet, non quæ videmus ſidera, ſed rectores Lunæ & Solis Angelicas virtutes. *Gene.1.* Sic iuxta hebraicam literaturam legimus Solomonẽ, his verbis orantem. Exaudi, ô cœlum. *3.Reg.8.* Vbi tamen non Cœlum, ſed cœli terræque rectorẽ ac dominum Deum appellat. Ita & nos hoc in loco, cùm Solẽ audiuimus & ſtellas, non ſidera, ſed ſiderum præſides intelligimus Angelos. Qui cùm ipſi ſint inuiſibiles, inuiſibilem etiam terram noſtram, ſubſtantiam ſcilicet animi noſtri illuminant. Quod non vulgariter nec temerè, ſed propriè & conſonè, & ad Dionyſiaca myſteria aptiſſimè dictũ eſt: Iuxta quæ tres actiones Angelicæ ſic diſtributæ ſunt, vt purget vltimus ordo, ſupremus perficiat, medius hic, de quo nunc agimus, illuminet. Hæc Picus, vt Theologus: nam vt philoſophus, nihil vetat quin cœlum animauerit. Sic enim paulò pòſt in eodem opere, *Lib. 4. cap.2.* Conſtat homo ex corpore & anima, vt cœlo & terra. Rationalis

animus Cœlum dicitur. Nam & cœlum animal à ſeipſo motum vocat Ariſtoteles, & animus noſter, vt probant Platonici, ſubſtantia eſt ſeipſum mouens. Cœlũ circulus eſt, & animus itidẽ eſt circulus, quinimò, vt ſcribit Plotinus, ideo cœlũ circulus, quia animus eius circulus eſt. Et aliquãtò poſt ſcribit Euſebiũ & Diodorum velle, Solem Lunam & Stellas animalia in ſuis eſſe ſphæris, vt in aqua piſces. Sic Picus. Ad Hebræos redeunti occurrit R. Moſe Ben maiemon in ſuo Miſne, quem librũ Hebręi ſecundo loco habent à Bibliis, paríque authoritate cum Thalmud, quippe quid ſit ipſe Thalmud in cõpendioſiorem methodũ, & faciliorẽ elegantiorémq; ſtylum redactus, Tractatu qui inſcribitur Ieſode Hattera, fundamẽta ſiue articuli legis. Omnes, inquit, ſtellæ & Spheræ cœleſtes anima prædıtæ ſunt, cognitionis & intelgẽtiæ participes viuũt, per ſe ſubſiſtũt, & agnoſcunt eum cuius verbo factus eſt mũdus: ſingulæ pro magnitudine ſua & præſtantia laudãtes & glorificantes cõditorẽ ſuum. Sicut Angeli, quos ſe ſuperiores agnoſcũt, ſed & ſemetipſas quoq;, notitia minore quidẽ quàm Angelica, maiore autẽ quàm humana. Quem locũ interpretans autor libri Hammadaia, ſtellas, inquit, & ſphęras participes eſſe animi & cognitionis, ex earum motu cognitũ eſt, vt quem impoſſibile eſt naturalem eſſe, qualis eſt motus lapidis deorſum, ignis ſurſum. Nam quod motu natu-

*Lib.5. cap.4.*

*Tract.1. cap.13.*



rali cietur, neceſſe eſt quieſcere, vbi peruenit ad locũ vnde diſceſſerat. Sphæra autẽ cœleſtis perẽniter vertitur, nec vnquã quieſcit. Ad hæc motus ille non ſimilis motui animantum, quæ non mouentur, niſi vt vel ad res accedãt, è quibus vtilitatem capiunt, vel à rebus abſcedant, quæ ipſis nocẽt. Huiuſmodi, inquã, motus non eſt ſpheræ cœleſtis, vt qui ad eam è qua cieri cœperat, plagam perpetuò reuertatur. Is igitur motus omnino erit appetens, ſeu voluntarius. Qualis motus non competit, niſi animæ & intelligentiæ cõpotibus. Anima enim cauſa eſt motus & intelligẽtiæ, per quam ea expetit fieri ſimilis ſuę cauſæ. Stellæ item & ſpheræ viuunt, & per ſe cõſtant. Nam quicquid habet animã, viuit: vita enim ſolis animatis cõuenit. Cùm autem viuãt, & intelligẽtia pręttereà pręditæ ſint, cognoſcũt factorẽ ſuũ, ſed & ſemetipſas, hoc ordine. Primùm ſeſe efferũt in, ſiue ſupra ſuam ſubſtantiã, deinde cognoſcunt cauſam ſuã, id eſt mẽtes ſeparatas, poſtremò mentiũ ſeparatarum aliam eſſe cauſam, cuius eſſe ſit ſimpliciter neceſſarium, nempè Deum Opt. max. Hęc ille. R. Iſaac, ad id, ne ſint tibi dij alieni, dicit, Iuxta doctores noſtros, quorũ benedicta memoria, Tres ſunt angelorũ miniſtrantium ordines ſiue chori, Prim⁹ canit S.S.S.D. De⁹ Sabaoth, Alter mouet cœlos, Tertius vt Sol & Luna. Sic illi. Quę mihi indicauit, & ex lingua Hebraica vertit, eius in hac Academia profeſſor Regius, &

*Vita tantùm animatorũ.*

*Exod. 20*

*Eſa. 6.*

Theologus doctiſſim' D. Genebrãdus. At priſcos illos Hebræos, & veros Iſraëlitas nihil tale de cœlis & ſtellis ſenſiſſe, & ab Euſebio antè monuimus, & pòſt ex Cœlio repetemus. Poſteri frequentibus tum captiuitatibus tum migrationibus commixti inter gentes, didicerũt non
*Pſal.* 105. ſolùm eorum opera, quod & prædixerat Rex idem propheta, verumetiã ſtudia. vt videre eſt
*Iudæorũ ſectæ. Ioſeph. Antiquitatũ lib.* 18. *cap.* 2. *De bello Iudaico lib.* 2. *cap.* 7. ex tribus illis apud Iudæos philoſophãtium ſectis, quid quæq; à Græcis mutuatæ errauerint.
*Eſſeni.* Eſſeni quidem, probabilius licet aliis apud eos philoſophię genus, animarum ex æthere in corpora quaſi in carceres lapſum, & quadam quaſi naturali illecebra attractionẽ, & bonarũ, cùm à carnis vinculis ſolutæ fuerint, in neſcio qua vltra Oceanum regione amęnam vitam.
*Phariſæi.* Phariſæi autem cum dogmate de Fato, animarum in alia atque alia corpora migrationẽ. Hinc error ille, non priuatus tantùm herodis ſemiudæi, Ioannem Baptiſtam ab eo paulò antea decollatum: in Chriſto reſurrexiſſe, ſed Iudæorum
*Mar.* 6. 8 *Luc.* 9. *Matt.* 14. 16. publicus, Chriſtum eſſe vel eundem Ioannem: vel Eliam, vel Hieremiam, vel ex anterioribus prophetis vnum: vulgo dicẽtium, vt ad eos Euangeliorum locos ſubmonent veteres Græci & Latini interpretes.
*Sadducæi* Sadducæi verò Epicuriſmum & Atheiſmum. Quid enim aliud eſt animæ ſimul cum corpore extinctio, & ſic generalis ſuppliciorum vel honorum poſt mortem denegatio? Tanta denique exoticæ ſapientiæ



mixtura in eam ambitionem prouecti ſunt, vt iã non ſufficeret pro poſteritate Abrahę, Iſaac, & Iacob, dici Phariſæos, Eſſæos, & Sadducæos, niſi etiam illata in Dei templum Græcorum philoſophia, Pontifices ipſi & Sacerdotes Academicorum, Stoicorum, Peripateticorum gloriarentur nominibus. Nec enim veriſimile eſt, vel Philonem, qui & ipſe de genere Sacerdotum erat, ſolum fuiſſe tum in Iudæis tantum Platonicum, vel eorum nullum vixiſſe ſectæ alterius Philoſophũ. *Hierony. Suid.*
Cùm è contrario ſub vicinis Aſiæ regibus, Antiocho præſertim illuſtri, eius tantum non permiſſu, ex Iſraël filiis impij quidam deſciuiſſe legantur ad teſtamentum gentium, ædificato Hieroſolymis gymnaſio, iuxta leges nationum, hoc eſt ſchola, in qua docerentur & addiſcerent leges & ſtatuta gentiliũ. *1. Mac.* 1. *Gymnaſium. Lyr.*
Sic enim etiam capi gymnaſiũ ibi poteſt, de loco ſtudij Philoſophici, in quo diſputat vnus contra alium, vt in gymnaſio qui ſe exercent colluctantur. Neglecta ergo Iudæi lege diuina, ſecularem eruditionẽ & Græcanica magis mẽdacia, quàm Biblica dogmata ſequebantur. In quem etiam ſenſum quidam accipiunt, quod & alibi ſcribitur, Iaſonem Oniæ optimi viri peſſimum fratrem, ambito emptoque Sacerdotio, ſtatim ſuos contribules ad Gentilem ritum trãſtuliſſe, ædificato ſub arce gymnaſio, hoc eſt, prope templũ Domini Gẽtilitatis ſchola. *2. Mac.* 4 *Paleſtra. diſcuſ.*
Quo facto non initio tantùm, ſed & incre-

mento ac profectu Gentilitiæ conuerſationis, & exoticorum ſtudiorum, Sacerdotes non iam amplius circa altaris officia manciparentur, ſed templo cõtempto, ſacrificiíſque neglectis, feſtinarẽt ad paleſtras & diſci exercitia ſiue certamina. Quorum vtrunque trahitur à quibuſdam ad idem ſignandum, quod ſuprà nomine gymnaſij, id eſt ſcholam, eo quòd ibi ſtudentes & diſputantes adinuicem exerceantur, & quaſi luctentur. In his ergo ſcholis informabantur exercitio talis, hoc eſt peſſimæ, quæ tradebatur eis, doctrinæ. Vnde ſequitur, Et patrios quidẽ honores, id eſt cultum diuinum, in quo patres eorum gloriabantur, pro nihilo habentes: Græcas glorias, id eſt ritus & viuendi modos, in quibus Græci gloriabantur, optimas & pulcherrimas ducerent. Hæc Machabæorũ hiſtoria. Quibus locis non neſcio Gymnaſia, paleſtras, diſcos aliter ab aliis exponi, ſed non malè, iudicio quidem meo, de ſcholis & collegiis literariis. Cuiuſmodi gymnaſia perſeueraſſe Hieroſolymis, aliquo tamen modo à Græcanicis fortè ſtudiis reformata, ſatis coniicere licet ex Euangelicis, & Apoſtolicis præſertim actis, vbi Synagogæ leguntur Libertinorum, Cyrenenſium, Alexandrinorum, Aſianorum, Cilicum diſputantes cum Stephano, &c. Qua noua opinandi impietate, titulorum & nominum vanitate peregrinis venenis imbuti Meſſiã annis plus minus bis mille iactatum, venientem

*Paleſtra. Diſcus.* *Act. 6.*



non agnouerint. Quod admoneo, quia licet R. Moſes anno demum poſt Chriſtũ circiter 1150. hoc eſt, poſt Hieroſolymæ, vti ſupputare ſolent, excidiũ ſcripſerit, Thalmud tamen epitomator eſt, anno circiter centeſimo cœpti, & quadringẽteſimo perfecti. Sic trium antea Rabinorum medius Rabi ſui Moſis de hoc cœleſtium animatu dogma probat Ariſtotelicis verbis, nedum ſenſis. Sed & Pythagoriſſat & Platoniſſat, mentes ſeparatas cœlorum eſſe & ſtellarum conditrices. Qui etiam error fuit veterũ in primitiua Eccleſia hæreticorũ, mundum ſcilicet ab angelis factũ eſſe. Quod eſt cõtra omnem ſcripturam, Verbo enim Domini cœli firmati ſunt, &c. Dominus autem cœlos fecit. Et, Qui fecit cœlos intellectu.

*Pſal. 32. 95. 135.*

*Recapitulatio, & obiter num Deus animal, & angeli animalia dici poßint.* Cap. XI.

SEd vt ſit aliquis tandem huic miſcellæ finis, & ante finẽ ſuperiorũ recapitulatio. Cœlos igitur cœleſtéſq; ſphæras habere animas nõ Platonici modò, ſed omnes etiam (vel certè plerique) Peripatetici confitentur, idipſum docente Ariſtotele pleriſq; in locis & Theophraſto eius diſcipulo libro de cœlo, nõ eſſe Philoſophum, qui cœleſtibus abnegat vitã. Quod & Auicẽna, & Algazeles ſummoperè cõfirmarũt. Auguſtinus & Thomas nihil, quãtùm ad Chriſtianã doctrinã ſpectat, intereſſe tradũt, cœle-

*Ex Cælio Rhodigino lib. 22. cap. 2. 2. de Anima. 2. de cœlo. 7. & 8. Naturalium. 11. Diuinorum.*

ſtia corpora animas habere, vel non habere, nihil certè de re tam obſcura temerè credendum. Animata eſſe & viuere concedunt Aſtronomi, Ptolomęus prȩſertim & Albumaſar, & Zacles, & Hali eos deridens qui ea viuere diffidant. Idem Aratus & Manilius arbitrantur. Quin & Orphei Theologia ſphærarum animas ita partitur, vt cuilibet geminam contribuat vim, vnã in cognoſcendo poſitam, alteram in ſphære corpore viuificando atque regendo. Hebræos verò obſeruauimus ſolos ex omnibus, pia ſanctáque conſideratione, non elementa modo, & ab eis compoſita, ſed & ſolem ſimiliter lunam, reliquáſque ſtellas, & ipſum cœlum, non ſolùm Deos non eſſe, verum etiam animæ expertia iudicaſſe. Nicolaus quoque Theologus, Cœleſtia, inquit, inanimata ſunt, & ſine ſenſu, ex Damaſceni doctrina. Alij verò quæ dicantur de hominis animo ad cœli quoque animũ transferunt, & eſſe illum cœleſtem hominem. Vt Timæus prodit tẽperatos animos noſtros ab opifice Deo in eodẽ cratêre, ex iſdémque elementis cum cœleſtibus animis. Hactenus Cęlius, huius ſiue epilogi, ſiue epitomes autor. Quo etiam loco merito aduertit Ariſtotelis interpretum pleroſque falli, à quibus ita tralatum inuenias, Deum eſſe dicimus animal perpetuum, optimum. Id quod tanti Philoſophi ſapientiã haud reſipit, nec verborum congruit exquiſitæ rationi, quæ rebus coaptari debet.

*Sic antè cap. 1.*

*Euſebij Cęſarien.*

*Lyr. Gene. 1.*

*Metaphyſic. lib. 12. cap. 7.*

*Deus an animal dici poſſit, vt Argyropilus, vertit, an viuẽs, vt Beſſario.*

*Tertullia no corpus dixit, non effigiatũ,*



Animal enim Latinè nunquã de Deo, aut intelligentiis dictum eſt, ſed nec dici valet, niſi ab iis qui ex corpore & anima conſtare Deũ opinantur. Id enim Latinè animal eſt, quod non ab anima Gręci, ſed à vita nomine inflexo pronunciant. Proinde rerum vim intuitus Philoſophus, quia vitam optimam, id eſt, actu eſſentiáque eſſe approbat in Deo, ſtatim infert, Deũ eſſe, non animal, quod anima conſtat & corpore, ſed ζῶον: ζωὴ quippè vita eſt latinè. Quare hîc ζῶον non animal, ſed aut viuens, aut id genus quippiam à vita corriuatum reddendum fuit: niſi quod ſic animal ab anima, id eſt vita deflectitur, vt Zoon Græcè ab Zoë. Animam dici de vita nec Grammatici ignorant, & comprobat in Dei mentione Plinius, Quiſquis eſt, inquiens, Deus, totus eſt animæ, totus animi, &c. Hæc ibidem Cælius. Sed nec illud alibi ab eodem repetitũ ex Beſſarione prætermittam. Hic vir in vtraque Philoſophia ſummè exercitatus, aduerſus calumniatorem Platonis. Etſi, inquit, cœlum Plato ex igne conſtare affirmat, quatenus ſcilicet viſibile eſt, & ex terra, quatenus tangi poteſt, ſtelláſque ex quatuor elementis compoſitas, non tamen hæc ita eſſe exiſtimat, vt quæ generationi & corruptioni obnoxia ſunt, corpus immortale conſtituãt: ſed ex igne cœlum eſſe, quia corpus æthereum lucidum eſt: E terra, quia ſenſui occurrit, è mediis, quia mediorũ præcipuã recipit rationem.

*vt habet de hæreſi. cap. 86. S. Augu.*

*Zoon.*

*Lib. 2. cap. 7.*

*Lib. 24. cap. 17.*

*Lib. 1. cap. 6.*

*Cælum et ſtellæ vt ex elementis.*

Quod ne Ariſtoteles quidem, ait, inficias iret, cœleſtia ſcilicet corpora conſtare ex his ſummitatibus elementorum, quando & cœlum ſtatuit viſui tactuíque eſſe obnoxium, quod animatum quoque & animal eſſe, vt Plato cenſuerat, in libro de cœlo affirmauit. Ex quibus nos vult Cælius altiora in Platone ac profundiora ſuſpicere, ſed & in poëticis etiam fabulis, vt in quibus ſub inuolucris mirandi ſæpe ſenſus lateant &c. Alioqui vel pueris illud in ore eſt.

Cato. *Nam miranda canunt, ſed non credenda Poëtæ.*

*In vocabulo, θεός* At nihil veritus Cœlij cenſuram Suidę Latinus interpres nõ ita dudum ita vertebat, Deum eſſe ſentiũt Græci, animal immortale, ratione præditum, perfectum, intelligens, beatum, nullius mali capax, conſulens mundo, mundíque rebus: nec humana tamen eſſe forma, eſſe autem hunc quidem opificem, & quaſi patrem vniuerſi. Qua etiam in ſententia, ne dicam hæreſi, fuiſſe Tertullianum videbimus. Neque verò vel ad hanc cœleſtis animatus farraginem non pertinet, vel indubitatum eſt: quod contendit Cœlius, intelligentias non poſſe dici animalia. Incorporei nécne ſint angeli, hîc diſputandum non ſuſcepi, proprij enim operis indigeret: Sed ſicne corporei, vt & animalia dici poſſint, hoc eſt, anima & corpore conſtantia, & quod ſcholaſtici dicunt, num corpora habeant naturaliter ſibi vnita. Nam & aliunde aſſumere extra controuerſiam (opinor) eſt. Origenes vbi

*Cap. vlti.* *Intelligentię an animalia dici poſſint.* *Lõbard. lib. 2. diſt. 8. Thom. p. 1. Q. 51. Arti. 1.*



Ariſtotelicè animam diffiniuit, diuinę, ait, ſcripturæ autoritatem nuſquam inuenimus, quòd vel angeli, vel ſi qui ſunt diuini ſpiritus Dei miniſtri animas habere, vel animæ dicantur: animantia tamen eſſe à quam plurimis ſentiũtur. Et paulò poſt, Non videbitur abſurdum etiam de ſanctis Angelis, cœleſtibúſque virtutibus, tale aliquid vel ſentire, vel dicere. Siquidem animę definitio, ſubſtantia rationabiliter ſenſibilis & mobilis, videtur in eos incurrere, & ad eos pertinere. Quis enim rationabiliter ſenſibiles eos eſſe, vel mobiles denegare poterit? aut quid aliud in illis, quàm ſenſus rationabilis cõmotus eſt? Quorũ autem vna definitionis ratio eſt, horum ſine dubio eadem eſt ſubſtãtia. Sed ſit loci huius penes interpretem fides, & ipſum excuſantem, quod in definitione dicitur, phantaſtica & hormetica, licet non tam propriè explanetur, dici tamen poſſe, ſenſibilis & mobilis, vel vt ad marginem adnotatũ eſt, imaginantiua, quod eſt intellectus & impulſiua, quod ad effectus pertinet. Sed tranſeat hoc, licet non aſſeruerit, cum cæteris Origenis erroribus. Auguſtinus pluribus licet locis corporeos ſcribat, quàm vt ſemper ex aliena loqui ſententia probari poſſe videatur, quod reſpondere ſolent Scholaſtici, quid enim aliud reſponderent? animalia ex ſua vel nuſquam, vel rarò certè, ac velut obiter ſcripſit. Non ignoro, inquit, quoſdam Philoſophos ſua cuiuſque elemẽti anima-

*De principijs, lib. 2 cap. 8.* *Ruffini.* *Eraſmi.* *Viues in cap. 37. lib. 15. de Ciuit. dei* *De Geneſi ad literã. lib. 3. cap. 9.*

lia ſic diſtribuiſſe, vt & aëreа dæmones eſſe diceret, Cœleſtia deos, quorũquidem nos partim luminaria, partim Angelos dicimus. Et paulò pòſt, Si dæmones aërea ſunt animalia, quoniam corporum aëreorum natura vigent. Et, ſi antequam transgrederentur, cœleſtia corpora gerebant, conuerſa pòſt ex pœna in aëreã qualitatem, &c. Hîc non dubium non ex ſe loqui, ſed nec poſt alios aſſerere. Si, inquit, Si. Si autem, vt aiunt, nihil pont ineſſe. Et conſtat ex Philone, Chalcidio, &c. Platonem hinc dæmonia eſſe colligere, quibus aër inhabitaretur, ne ſolus ſcilicet incultus remaneret, cùm & reliqua tria elementa, & cœleſtia à ſuis quæque anima-

*Epiſt.115.* libus incolerentur. Idem Auguſtinus ad Nebridium de ſpiritibus, ſiue angelis, vt aëreis æthereíſue animantibus loquitur, ſed obiter, nec

*Queſt.67* pluribus verbis. Et cùm in opere lxxxiiij. quęſtionum peræquè breuiter ſcripſiſſet, ſummos quidem angelos ſpiritualiter viuere, infimos

*Lib. 1. cap. 26.* autem animaliter, idipſum in retractationibus tẽperauit. Audacius, inquit, dictum eſt de infimis, quàm vt poſſit vel ſcripturis ſanctis, vel ipſis rebus oſtẽdi, quia etſi forſitã poteſt, difficil-

*Homil. x. ſuper Euãgelia Lucæ 2. Matt. 2. Vbi ſuprà* limè poteſt. Sed quid Gregorio magno facias, ſic cõcionanti, Paſtoribus in Iudæa tanquã ratione vtẽtib' ratione, animal, id eſt, Angelus, na tum redẽptorẽ prædicare debuit: Magis gentibus, quia vti ratione neſciebãt, ſtella elemẽtũ mutum apparuit &c. Reſpondet Aquinas Metaphoricè



taphoricè locutum propter ſimilitudinem rationis. Alibi ergo ſic clarè & propriè, In cuncta, ait, creatura homo & angelus ſimul conditus dicitur, non vnitate temporis, ſed cognitione rationis quia ab omni creatura irrationali diſtinctus proceſſit. Quia ergo in cuncta rerum conditione nullũ rationale animal niſi angelus & homo eſt, quicquid ratione vti non poteſt, cum homine factũ non eſt. Alioqui quod in Paſtorali admonet eos qui præſunt, vt per circũſpectionis ſtudiũ oculos peruigiles intus & in circuitu habeãt, & cœli animalia fieri cõtendant. Oſtenſa quippe cœli animalia in circuitu & intus oculis plena habentur, & ſic diſtribuntur &c. non dubium quin ad propheticam ſanctorum quatuor animalium Euãgeliographorum viſionẽ reſpexerit, vt ad triſagiũ in altero propheta Cherubim & Seraphim hymnum Epiphanius, Non per duas, ait, voces Dei glorificatio in cœlo perficitur, neque quartùm acclamãt eadem ſancta & inuiſibilia ſpiritualia animalia, neque vnam ſolùm vocem edũt, ſed tres ſingulares voces, Sanctus, Sãctus, Sanctus, &c. Et aliquãtò pòſt, Cum Angeli & ſpiritualia animalia supernè clament & dicant, Tua eſt potẽtia, tuum eſt imperiũ, tuum eſt robur &c. Verùm quàm hæc impropria ſunt, quòd in animalium ſpecie viſi ſunt patribus Angeli, tam propria videri poſſent priora Gregorij verba, quaſi ij naturâ animati eſſent. Quid item D.

*Moraliũ lib. 32. cap. 9.* — *Part. 3. admonitione 5.* — *Ezec. 1. Eſa. 6. In ancorata.* — *Apoc 4. 5. 7.*

Bernardo tantò pòſt ita ſermocinanti? Angelica corpora ſpiritibúſne naturalia ſint, vt hominibus ſua, & animalia ſint ſicut homines, immortalia tamen, quod nondum ſunt homines, & num ea mutent ac verſent in forma & ſpecie qua volunt, quando apparere volunt, denſantes ea & ſolidantes quantùm volunt, cùm tamē in ſui veritate præ ſubtilitate naturę & ſubſtantiæ ſuæ impalpabilia ſint, & noſtris omnino viſibus inattingibilia: an verò ſimplici ſpirituali ſubſtantia ſubſiſtentes, corpora cùm opus eſt, ſumant, rurſúmque opere expleto ponant, in eandem de qua ſumpta ſunt, materiam diſſoluenda, nolo vt à me requiratis. Videntur patres de his diuerſa ſenſiſſe, nec mihi perſpicuū eſt, vnde alterutrum doceam, & neſcire me fateor. Sed nec veſtris profectibus multùm conferre arbitror harum rerū notitiā. Et idem alibi breuius, ſpiritus vocat corpore æthereos, immortalitate perpetuos. Quanquā de horū ait, corporibus, nō modò vnde ſint, ſed an aliquatenus ſint, hæret aliquorum ſententia. Vnde ſi quis inter opinabilia magis id ponendum cenſuerit, non contendo. Hæc ille, non ad ſuos modò fratres Clareuallenſes, ſed & ad Eugenium Romæ Pontificem, non ita ſcripturus, ſi qua tunc hac de re extitiſſet Eccleſiæ, aut S. Sedis Apoſtolicæ deciſio. Ex priore igitur Bernardi loco ſic ratiocinatur in Cabaliſticis Archangelus minorita, Siquidem intellectua-

*Serm. 5. ſuper Cātiqua.*

*De conſideratione lib. 5.*



lis ſubſtantia, apta nata eſt cōſortium corporis (humani) expetere, iuxta quod hic pater pro nullo habet inconuenienti angelos naturaliter vniri corporibus (inferioribus) eíſque inſiſtere, magis prona erit ad corpus ſublimè ac ſempiternum, quàm ad terrenū & corruptioni obnoxiū: magis enim adhæret ſimile ſimili, quàm diſſimili & diſconuenienti. Sed quid ex neſcitis à Bernardo antecedentibus aliud quàm ab eodem neſcitum conſequens inferas. Et tamen vt de Angelorum corporibus aſſumptíſne an vnitis neſcierit, aut opinatus ſit, mundum fortiter alibi in Abelardū negauit animal eſſe, idē de cœleſtibus dicturus &c. Et in Synodo quidem VII. Nicena II. Sanctus quidam pater, qui angelos nō quidē vt nos, corporeos, vt potè ex elementis quatuor, & craſſa materia, non tamē omnino corporis expertes, aut prorſus corporeos, verū tenui admodū corpore prędites eſſe propoſuit, citatis in eam rem Athanaſio, Baſilio, Methodio, non improbatus eſt. Sed potius Xenaias Iconoclaſtes non probatus, docens Angelos ſic incorporeos, vt non eſſe decens diceret in corporea eos forma effigiari, & in humana effigie repreſentari. In quali nimirum apparuerant, & tales angelorū imagines allatas eiiceret. Quin etiā nouiſſimus ſummæ Conciliorum collector ibidē adnotat hanc cōtrouerſiam nondū Eccleſiæ cenſura terminatam eſſe. Sed ſit nobis, quā ipſe indicat, Latera. cōcilij I.

*Actione V. Sanctus.*

*Xenaias, qui & Philoxenus.*

vt quo nullum vnquam fuerit numeroſius, cenſuræ loco, hic vt & de ſumma Trinitate & fide
*Extra. li. & titul. & cap. 1.* Catholica, articulus, Deus creator omnium ſpiritualium & corporalium, ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio tẽporis vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mũdanam: ac deinde humanam, quaſi communem ex ſpiritu & corpore conſtitutam. Quibus verbis ſpirituale
*Thom. opuſcul. 15. cap. 18* opponit corporali. Ex canonicæ nimirum ſcripturæ autoritate, quę angelos ſpiritus nominat
*Pſal. 103.* ita, Qui facit angelos ſuos ſpiritus. Et, omnes
*Heb. 1.* ſunt adminiſtratorij ſpiritus. Conſueuit autem ea nomine ſpiritus aliquid incorporeum deſi-
*Ioan. 4.* gnare, iuxta illud, Spiritus eſt Deus, & Deus
*2. Cor. 3.* eſt ſpiritus, &c. Aliter licet deus ſpiritus, aliter angelus. Quæ differentia tollit eam, quàm D. Bernardus modeſtè attigit, quæque inter patres de hoc videtur eſſe, Diaphoniam. Incorporeus enim & immaterialis dicitur Angelus quantùm ad nos, ſupra nos ſunt, & incorporei
*Lib. 2. ca. 3.* Angeli, ait Damaſcenus. Nam omne ad Deum collatum, qui ſolus incorporalis eſt, craſſum & materiale comperitur. Sola enim immaterialis verè & incorporea diuinitas: Quod &
*Cap. 11. 12* habet autor libri de dogmatibus Eccleſiaſticis inſcripti, nihil incorporeum naturâ credendum, niſi ſolum Deum, id eſt, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, quia vbique eſt, & omnia implet ac conſtringit. Creatura omnis corpo-



rea eſt, Angeli & omnes virtutes cœleſtes corporeæ, licet non carne ſubſiſtant, &c. Deo vtique collatæ, nobis autem, incorporeæ. Animales autem aut animantes, aut animalia eſſe, ſicubi legeris, vt in paucis antè locis, interpreteris potius quàm imiteris, & quod ait ille, ſenſum tene, ſed linguam cohibe. Nam qui contrarium dogma tuentur, mirum quàm dato, quod aiunt, vno inconuenienti, multa eos ſequantur. Michaël Pſellus autor recentior & Chriſtianus ex patribus, vt ait, nominatim Baſilio, tribuit Angelis bonis & malis corpora, illis materiæ prorſus expertia, his quodammodò materialia, vtriſque inuiſibilia, & cum ſuo Marco Anachoreta in dæmonum ſcilicet cultu & apparitionibus peritiſſimo, ſex eorum facit genera, igneum, aëreum, aquatile, terrenum, ſubterraneum, lucifugum. *Dæmonũ ſex genera.* Super quorum, materiæ pręſertim proximorum, alimentis, excrementis, ſeminibus, membris, ſexu, linguis, affectibus &c. mirè laborat, vel potius nugatur. Habent, inquit, membra, ſed non qualia nos. Nutriuntur, non vt nos, ore, ſed vt ſpongiæ & oſtrea, adiacentem humorem exugentes, ſemen iaciunt, vnde puſilla oriantur animalia. Corpora nubium inſtar ſimplicia, ductu flexúque facilia, & ad omnem omnium animantium configurationem naturaliter apta. Sed quæ pulſari percutíque, ſecari, diuidi, & ita dolere poſſint, vt corpora ſoli-

da, verùm hoc intereſſe, quòd hęc diuiſa vix reſtitui valeant, illa vt aquæ aërisque partes, mox coaleſcant atque reuertãtur. Pſellum denique dubitantem, num alij quidem mares, alij verò feminæ ſint, more animaliũ caducorum, Marcus docet nullũ ſuapte naturâ marem eſſe vel fœminam, ſed pro ea quæ ſuprà, corporũ ſimplicitate ac facilitate, ſexuum in eis differentias apparere, vt modò tanquã viri appareant, mox occurrant vt fœminæ. Quod autem ait, quia dolent dum diuidũtur, ideo ferri aciem metuere, vnde qui eos fugare moliuntur, tela & enſes in rectum conſtituant, quõ eos aduentare nolint, aliáque machinari, quibus eos tum propulſent, tum mulceant, Simile illi eſt quod de ſuo apud inferos Ænea fingit poëta, & quidem veriſimilius quàm hic philoſophus, ita.

Ænæid. 6.

*Corripit hîc ſubita trepidus formidine ferrum*
*Æneas, ſtrictámque aciem venientibus offert.*
*Et ni docta comes tenueis ſine corpore vitas*
*Admoneat volitare caua ſub imagine formæ,*
*Irruat, & fruſtra ferro diuerberet vmbras.*

*Seruius. ad repellendũ nõ feriendũ. ſybilla aũt ferire prohibet.*

Verùm hæc & huiuſmodi Pſelliana ludibria dæmones cùm poſſint in aſſumptis exercere corporibus, nihil opus eſt eis propria aut naturaliter vnita affingere. Melius ergo Dionyſius Areopagita ex Platonico Chriſtianus, omnes intelligibiles & ſpirituales ſubſtantias, vt incorporales, ſic omni materia carẽtes atque liberas facit, de bonis quidem loquens, ſed quibuſcum

*De diuinis nominibus, cap. 4.*



& malis eadem ſit ſubſtantia & natura.

*Reſolutio cum offendiculis ſequentibus eos qui ponunt animata eſſe cœleſtia.*

*Cap. XII.*

SEd omiſſis & Iudæorum Rabinis, & gentiũ Philoſophis, ſacris etiã ſcriptoribus priſcis & modernis, non ſatis hîc conuenientibus, quid hîc tandem Chriſtiano ſentiendum, aut de hoc cœlorum animatu credendũ? Quod ait ruſticus ille.

*Non noſtra inter eos tantas componere lites.*

Sed ſi quis me iudice certet, & ſto, & ſtandũ omnibus Chriſti fidelibus conſulo ab vniuerſali Synodo V. hoc inter Origenica dogma improbãte, & ab articulis Pariſiẽſibus idẽ dãnantibus. Vt quod periculorum & ſcandalorum in fide ac religione Chriſtiana plenum, Idololatriæ & ſuperſtitioni valde obnoxium, imò neceſſariò & inenodabiliter (vt ita dicam) annexum ſit. Quod videre eſt in omnibus penè qui ab hoc cõtrà ſteterũt, authorib' alioqui ſacris, non modò profanis. Primus ergo eius, quod equidẽ ſciam autor, Orpheüs Theologus, nedũ poëta, & cœlos & elementa, his animis, ſuum vnoquoq; domiciliũ non regẽtibus modò, ſed & viuificantibus, his diis, & quidem vtriuſque ſexus, hoc eſt, dæmoniis impleuit atque referſit. Terrã Plutone & Proſerpina, aquã Oceano & Tethyde, aërem Ioue & Iunone, Ignem Phanete & aurora, in anima ſphæræ Lunaris Bac-

chum nominat & Thaliam. In Mercurij, Silenum & Euterpem: Veneris, Lyſium & Erato: Solis, Trietericum & Melpomenē: Martis, Baſſareum & Clio: Iouis, Sebaſium & Terpſicorem: Saturni, Amphietū & Polymniam: Octauæ ſphæræ Perictonium & Vraniam. In anima mundi, Eribromum & Calliopem, ſingulis ſcilicet muſis vnum præficiens Bacchum, quòd is Symbolicôs, & opertè diuinæ cognitionis nectar prudentioribus monſtrat. Hæc ex Orphei Theologia Celius. Sed quid ſunt, optime ac Chriſtiane Lector, dæmonia, niſi hæc ſunt, hæ inquam, Orphicæ animarū cœleſtiū & elementarium præſides potētiæ. Omnes enim dij gentiū dęmonia &c. Plato cœlum non animale modò, ſed & deū facit, & quidē ſummū deum, ſumméq; adorādū, vt omniū bonorū cauſam: ſtellas deos ſuo poſt deū ſummū ordine venerabiles. Videntur mihi, inquit, præter ante allegata, Græcorum priſci deos ſolos putaſſe eos, quos his etiam temporibus Barbarorum plurimi arbitrantur, Solem, Lunam, ſtellas, Terrā, Cœlum &c. Excepit Archangelus qui antè Cabaliſta. Quanuis, inquiens, Plato dicat cœlum eſſe omnium bonorum cauſam, intelligit de cœlis Archetypis, i. idæis, quæ media ſunt & inſtrumenta, per quæ ſummus opifex rerum ſeriem obſeruans operatur. Cauſa tamen principalis eſt Deus, à quo omne datum, omne donum perfectum, Ex quo, per quem, in quo ſunt

*Lib. 22. cap. 2.*

*Pſal. 95.*

*In Cratylo. & Philo de Monarchia.*

*Iacobi 1.*

*Rom. 11.*



omnia, id eſt, omnes virtutes & poteſtates, quia eſt linea viridis vniuerſum gyrans (de qua antè in Cabaliſticis) quam & cum orauit Salomon, Exaudi ô Cœlum, debemus intelligere. Fabricato enim templo, precaturus, cupiens fauorē XII. reuolutionum nominis magni XII. tribubus Iſraël emereri, vt omnes haſce reuolutiones ſimul inuocaret, ad earum fundamētum acceſſit dicens, O Cœlum Tetrag. cuius XII. reuolutiones ambiunt, & mūdum archetypū, & hunc inferiorem in XII. partes diuiſum, exaudi orationem meam. Hæc ille. Sed quis ſic cognouit ſenſum Salomonis & Platonis, aut quis ita conſiliarius vtriuſque fuit, vt probare poſſit & illum de hac Cabaliſtica linea viridi vel per ſomnium cogitaſſe, vel hūc vt illum (vt ex Pico antè didicimus) cœli nomine cœli pręſidem & rectorem intellexiſſe? aut eādem tum phraſim, tum mentem hîc eſſe oracularis ſcripturæ & philoſophicæ Platonicæ? Non eſt, ait ſanctus quidam, differentia in conſpectu cœli: (Sic enim habet Græcus codex ἐναντίον τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃, omiſſo Dei nomine) liberare ī multis aut paucis. Coram cœlo. Metonymia eſt: qua cœlum pro Deo in eo habitante accipitur, quaſi continens pro contento, non quod Deus cœlo contineatur. Sed ſcriptura præcipuam ibi ſedem maieſtatem eius eſſe ſignificat. Vnde. Ibidem, ſicut fuerit voluntas in cœlo, ſic fiat, Dei videlicet voluntas, vt is decreuit & conſtituit.

*Linea viridis.*

*3. Reg. 8.*

*1. Mac. 3.*

*Metonymia.*

12. Et, habuimus auxilium de cœlo adiuuans nos.
16. Et, Auxilium verò de cœlo vobiſcum ſit. Et a-
*2.Mac.*8. libi recenſet plures à paucioribus victos, pro-
*Pſal.* 120 pter auxilium eis à cœlo factum, de cœlo datũ,
& 2. è cœlo miſſum, hoc eſt, à Domino, iuxta alium
prophetam, qui fecit cœlum, qui & in cœlis ha
*2.Mac.*7. bitat. Et ex ſeptem fratribꝰ tertius, E cœlo iſta
(linguam & manus, quæ poſtulatus à carnifi-
ce, proferebat) poſſideo, & propter eius leges
nunc & ipſa deſpicio, quoniam ab ipſo ea iterũ
9. me receptarũ ſpero. Quin impius ipſe Antio-
chus, epiſtola ad Iudæos miſſa ſcribit, ſpẽ ſe in
cœlo habere, ſiue reponere: ex cœlo vtiq; hoc
eſt cœleſti ac diuino iã iudicio eum perurgẽte.
*Matt.*21. Sed & in nouo quoque teſtamẽto, illa Domini
*Marc.*11. ad Phariſæos quæſtio, Baptiſmus Ioanis è cœlo
*Luc.*20. erat, id eſt à deo haud dubiè, an ex hominibus?
*Elias in* Ideóque Rabini & Cabaliſtæ præter ſuperiorẽ
*Tisbi.* locum Salomonis, alio etiam loco, vbi noſter
*Dan.*4. interpres habet. donec cognoueris poteſtatẽ
eius eſſe cœleſtẽ, legũt, donec cognoſcas quòd
*Eſa.* 6. dominatur cœlum: Cœlum Deum exponẽtes,
*Act.*7. quòd Cœlum ſit Dei habitantis ſedes. Et præ-
*Mat.*23. ter decem nomina quæ peculiariter Scriptura
*De priorbi* Deo attribuit, ex aliis decem quibus illi eum
*Hierony.* cognominant, Cœlum vnum eſt. Obteſtatur
*ad Mar-* quidẽ & Hermes ille triſmegiſtus Cœlum, ſed
*cellam.* Dei opus, non Deum. Obteſtor te, ait, cœlum
*Suidas ci-* magni Dei ſapiens opus, &c. At Plato cœlum
*tat.* hoc Deum eſſe tantum, id eſt, omnis boni au-
thorem dicturus, præfatus eſt, vt in quoddam



paradoxon, abſurdum ſe viſum iri. nihil ab-
ſurdum dicturus, ſi, cœli nomine cœli facto-
rem intellexiſſet, vt Salomon. Rectè igitur nec
minus feſtiuè D. Bernardus in talem Platonis
amaſium Petrum Abailardum, Ita. Spiritũ ſan- *Epiſtol.*
ctum dicit eſſe animam mundi, mundum, iuxta 190.
Platonem, tantò excellẽtius animal eſſe, quan-
tò meliorem animam habet Spiritum ſanctum.
Vbi dum multum ſudat quomodo Platonem
faciat Chriſtianũ, ſe probat ethnicum. Sic ille.
Sic iſti Plutonici fortè pluſquam Chriſtiani:
Sic etiam Ariſtoteles cœleſtiũ animator, idem
de cœlo vt prima cauſa, & ſtellis, vt diis infe-
rioribus, nonnullis ſenſiſſe videtur. Ioan. de
Baccone & Gregor. Ariminen. tenent ex eius *Lib. 2. ſen*
mente & Auerrois, cœlum & ſubſtantias æter- *tentiarũ.*
nas non habere cauſam æternam effectricem. *Diſt.1.q.1*
Quæſtio in via Peripateticorũ ſanequã ardua *Æterna*
& ambigua. Eudæmus & Alexander, recitante *an cauſã*
Simplicio in prĩcipio Phyſicorũ, tenuerũt Deũ *habent.*
ex mẽte Philoſophi & Cõmẽtatoris, æternorũ
cauſam eſſe finalẽ tantùm & formalẽ, non effi-
cientẽ. Ammoniꝰ, Simplicius, & Ioãnes Grãma
ticus, & alij pleriq; oppoſitũ tenent. Quibuſcũ
cõtendit Zimaras Cõmentatorem tenuiſſe de *Initio Ta-*
mẽte Philoſophi æterna eſſe cauſata in triplici *bularum.*
genere cauſæ: hic enĩ apertè teſtatur Cœlũ eſſe *Lib. 1.*
cauſatũ à prima cauſa. Quod autẽ Philoſophus *Cœli.*
demõſtrat cœlũ nõ eſſe generabile, vult demõ-
ſtrationem ſuã intelligi de modo generationis,

*Poſterior. 2. Textu.22.* verè ac propriè, & non tranſſumptiuè ſumpto (odit enim in doctrina demõſtratiua Metaphoras & tranſſumptiones) Quæ ſcilicet generatio propriè ſumpta indiget cauſa agẽte, materiali, finali, tẽpore & loco, & quo generationis modo generantur hæc temporalia & ſenſibilia inferiora corpora. Generabile enim, quà tale, pars eſt huius mundi ſenſibilis, & cuius generatio non ſequeretur, niſi prout eſt eius pars: eò quòd omne tale generatur ſine dubio, de re, ex re, pro re, in loco, & in tempore. Amplius declaratum eſt à philoſophis, quòd in hoc entium genere, id quod dat finem entibus à materia ſeparatis, idem dat etiam formam: quod autem dat formam, eſt agens: quod ergo dat huic finem, eidem etiam agens eſt. Apparet itaq; primum principium, omnium iſtorum eſſe principium ſcilicet agens, ſeu efficiens, & formã & finem. Tenet igitur Commentator & Cœlum & intelligentias eſſe cauſatas ab æterno à prima intelligentia, ſed non per generationem veram ac propriam, quæ fit cum tranſmutatione ac tempore, verùm nobiliori modo, Scientia enim Dei glorioſi eſt cauſa entitatis & veritatis omnium entium. Locos horũ teſtes præcipuos citat Zimaras ex 2. cap. libri de ſubſtãtia orbis. lib. item 4. & 12. primæ philoſophiæ, com. 4. & 51. & in lib. diſtinction. diſputation. 3. dubio 18. Sit penes eum fides, eadem, quâ ſuprà ratione. De Ariſtotelis hîc ſenſu duplex opinio,

*Generatio vera & propria.*



quibuſdam opinantibus Cœlũ primam ei eſſe cauſam, vt antè, Platone eius magiſtro, & ſic ſimpliciter, id eſt, omnibus modis eſſe ingenerabile, Aliis ipſum à prima cauſa eſſe creatum cauſatúmve, non tamen generatum aut generabile ab alio, id eſt, ex alio ſubiecto ſcilicet aut materia. Quem generationis modum, & non ſimpliciter omnimodum, philoſophus intẽdit à corpore cœleſti remouere in libris de Cœlo. Vtra verò magis Ariſtotelea, iudicent, qui, vt iterũ cum Bernardo dicam, Platonis argutias, & Ariſtotelis verſutias melius intelligunt, aut vt intelligerent, plus laborauerunt. Ego enim Theologorũ minimus, ex eorum me numero profiteor, qui Enniani Neoptolemi illud valde probant. *Ab pro ex.* *Serm.3. Pentecoſt.* *Gell. lib.5 cap.15.*

*Philoſophãdũ eſt, ſed paucis, nam omnino haud placet.*

Sed quid de cœleſtibus aliis, Diis Platoni minoribus, idem eius diſcipulus? Tradita, inquit, quedam ſunt à maioribus noſtris, & valde antiquis, & fabulæ inſtar poſteris relicta, hi q; Dij ſint, Vniuerſámque naturam ipſum diuinũ contineat, Reliqua verò ad vulgi perſuaſionem, legum vſum, vitæque humanæ vtilitatem allata, humaniformes ſcilicet, aliorúmque animalium nonnullis eſſe ſimiles, & alia quæ ex his ſequũtur, complura. Quorum ſi quis primum id ſeparauerit, ſolúmque ſumpſerit, quòd Deos arbitrãtur eſſe primas illas ſubſtãtias, diuinè profecto dictum putabit, & vt veriſimile eſt, vna- *Metaphyſic. lib.12. cap.8.*

quaq; arte ac ſcientia, ſæpe quoad fieri potuit, inuenta rurſúmque perdita, has de iis opiniones, quaſi quaſdam reliquias, conſeruatas, & nunc vſque ſaluas perueniſſe. Paternæ igitur patriæq́ue ſuper iis opinionis, nobis à veteribus primíſque traditæ, id tantùm nobis manifeſtum eſt. Hęc eſt clauſula Theologiæ Ariſtotelicæ, de numero minorum Deorum iuxta numerum ſphęrarum. Ex qua conſtat cœlum ſiue cœlos & cœlites, ſtellas preſertim planetas non tantum, quod alibi ſæpe, animales ei eſſe, non huius tamen mundi animalibus figurâ ſimiles aut ſpecie, ſed & minorũ velut gentium Deos, præter illum maximum Regem, principemq́ue cæterorum. Idque traditionis eſſe non tantum paternæ, ſed etiam diuinæ. Sic nimirum prior illo præceptor Plato, de diis quoq́ue reliquis, *In Timæo*

Credendum ſcilicet eſſe veteribus & priſcis, vt aiunt, viris, Deorũ enim filiis ac nepotibus nõ credi ſatis irreligioſum, nec argumentis licet neceſſariis, nec rationibus certis eorum nitatur atque cõfirmetur oratio, ſed quia de domeſticis ſibiq́ue notis rebus loqui videntur, meritò veteri legi morique parẽdum puto. Sic de cœlis & cœleſtibus Gręcorum philoſophorũ, hoc eſt, vt quidem dixit, fatuorum ſapientum principes Plato & Ariſtoteles. Græcamica igitur philoſophia imbutus Philo Iudæus, Cœleſtes ſtellas ſic ex vtroq; retinuit animatas eſſe, imò mundi huius quaſi amplę ciuitatis magiſtratus,

*Regula Monialiũ Hieronymo inſcripta. cap.* 11

*Lib.* 1. *De monarchia.*

*Stellę mũdi magiſtratus.*



quotquot in cœlo ſidera vel fixa vel erratica, non liberæ tamen poteſtatis, ſed ſubpræfectos vnius Patris rerum omniũ, ad cuius imitationẽ iuſtè legitiméq; adminiſtrent ſingula negocia, vt tamen Deos, & ita rerum cauſas cum Moſe eſſe neget, Sed vt noſtri, ait, ſenſus miniſtri mẽtis ſunt, ſic & ſenſibiles iſti magiſtratus miniſtri ſunt illius intelligibilis, boni conſulentes cenſeri ſe in ſecũdo ordine. Ridiculum enim eſſet opinari, mentem in nobis, cùm parua ſit & inuiſibilis, ſenſuum præeſſe inſtrumentis, Illam verò vniuerſalem perfectiſſimamq́ue non habere regnum in Reges ipſos, inuiſibilem in viſibiles. Credendum ergo omnes illos cœlites, qui percipiuntur ſenſibus, non eſſe ſui iuris, nec habere poteſtatem propriam, ſed ſubpræfectorum tenere ordinem, ſic naturâ factos, vt ſint obnoxij, ſummus licet ille rector non repoſcat ab iis rationem, propter virtutem ipſorum eximiam. Et alibi viros commemorans, qui ex illaudatis orti maioribus, vitam vixerunt laudatiſſimam, Primus, ait, parens Iudæorum Chaldæus erat natione, patre prognatus dedito ſiderali ſcientiæ, vno ex eorum numero, qui ſidera, Cœlum, mundum pro diis habentes, his accepta ferunt fata hominum, ac proinde nullum rerum authorem eſſe credentes, præter eos qui percipiuntur ſenſibus. Et quid indignius, aut magis alienum à generoſo animo,

*De nobilitate.*

*Abraham filius Thare.*

*Gene.* 11. *Ioſ.* 24.

quàm ſtudio noſcendæ creaturæ prolabi in vnius antiquiſſimi rerum cōditoris ignorātiam, vel hoc ſolo nomine venerādi, etiamſi abeſſent beneficia plurima, quorum iniri non poteſt ratio. Et de Eſſæis, An iis illos conferemus, qui creaturas colūt, Solem, Lunam, Sidera vel fixa vel erratica, aut cœlum ipſum, vel mundum quantus eſt? Atqui ne hæc quidem ex ſeipſis originem habent, ab alio quodam opifice tanta arte condita. Eadem verba repetit in expoſitione decalogi. Et tamē neſcio quomodo Deos idem cœlites eoſdem vocare videtur. Nam horum locorum primo, nullo vbi antè deſiuimus medio, ſubiicit ſic, Itaque tranſcenſa per cogitationem omni viſibili eſſentia, pergamus ad cultum illius inuiſibilis, qui ſola mente percipitur, ſolus Deus Deorum, tam intelligibiliū, quàm ſenſibiliū, atque etiam rerum cunctarū opifex. Et alibi, Vtriuſq; mūdi, incorporei ſcilicet illius intelligibiliſq;, & noſtri huius viſibilis pulchritudinē admirati quidā, non ſolum ipſos totos conſecrauerūt, verùm & præcipuas eorum partes, Solem, Lunam, Cœlum, non veriti eas Deos appellare. Quorum cogitationem Moſes intelligēs, inquit, Domine Domine Rex Deorum: vt indicaret eum eſſe præſtantiorem quàm ſubditos. Et antè citatum inter Philonica, Si cœlum interit, peribit Sol & Luna, peribunt reliqua ſidera, tum fixa, tum erratica, totáque illa ſenſibilium Deorum, vt olim creditum

*De vita cōtemplatiua.*

*De⁹ Deorum.*

*De confuſione linguarum.*

*Deut. 10.*

*Quod mūdus ſit incorruptibilis.*



tum eſt, militia beatiſſima. Videri itaq; poteſt Philo, trium horum poſteriorum locorū duobus prioribus nō abhorrere, ſi quis vocet cœlites hos deos, ſed quo ſcriptura modo atq; ſenſu, & homines & Angelos deos vocat, qui dij minimè ſunt. Quos enim Angelos ea vocat nomine aptiſſimo, à Philoſophis Genios vocari: idē alibi autor eſt, vt propter huiuſmodi deos Deus verus Deus Deorū vocetur in ſacris literis. Quo poſtremo loco de ciuib⁹ & animalib⁹ aëriis, quorum animas immortales ſtellis ait pares numero, alias in corpora deſcēdentes, alias ſurſum redeūtes ſeparatas, & rurſum recurrētes, alias eorum pertæſas eadem fugientes, ſublimémque ętherem petentes, alias altius diuiniúſque ſapientes, aſpernatas iſta terreſtria & humilia, miniſtras omnipotentis, tanquā magni Regis aures et oculos videntes audientéſque omnia, mirum quàm Platoniſet, hoc eſt, à Moſe ſuo aberret. Adeo cœlorū animis ſemel receptis, facilis lapſus ad reliquam gentium ſuperſtitionem, etiam Dei popularibus, olim Iudæis, pòſt etiam chriſtianis. Nam & Philonem ſic ſecutus eſt Origenes, vt et in peius proficeret, et hoc ab eo differret, quòd cùm ille ſiderū naturam omnis vitij ſcripſerit expertem, hic eādem non vitij minus quàm virtutis capacem eſſe diſputauit. Quidni? cùm Philo, quo ſtellas rationis & mentis participes loco facit, addat & hoc, Vitij verò & virtutis tanquam do-

*Dij nūcupatiuè.*

*Angeli Genij.*

*De ſomniis.*

*Sic Apul. diffiniuit dæmones, genere animalia, animo paſſiua, mente rationalia, corpore aërea, tēpore æterna. Aug. de ciuitate D. Lib. 9. cap. 8. 12. 13.*

*De Mūdi opificio.*

micilium videtur mens & ratio, in quibus commodè inhabitent. Et vt error errorē parit, Non contētus cœlos animaſſe, elementa etiam animauit, & quidē animâ rationis, ac proinde eodem quo ſuprà argumento, virtutis et vitij participe, In quem errorem, imò hæreſim D. Hieronymus, ad id in Euangelio, Tūc ſurgens imperauit ventis & mari, Ex hoc, ait, loco intelligimus, quòd omnes creaturæ ſentiāt creatorē. Quas enim increpauit, & quibꝰ imperauit, ſenſerunt imperātem, nō errore hæreticorum, qui omnia putāt animātia, ſed maieſtate cōditoris, quæ apud nos inſenſibilia, illi ſenſibilia ſunt.

*Elementa ſcilicet animata.*

*Matt. 8.*

Porrò Rabinos Hebræos ex hoc erroneo cœleſtiū animatu in aliū errorem incidiſſe de Angelis mundi cōditoribus, cum Simone Mago, Menandro, Saturnilo, Carpocrate, Cerintho, Archonticis ita vocatis à principibus illis quibus mundi creationē tribuebant, contra illud, Mundus per ipſum factus eſt, nihil mirum eſt, vt qui maluerint à philoſophis externis, quàm à popularibus ſuis prophetis diſcere, Et hic enim error, vt bona hæreſeō pars, à Gentilium philoſophia ortum habuit, ex Ariſtotelis videtur officina prodiiſſe. Qui licet mūdum negarit factum, quæ tamen in his fiunt inferioribꝰ, ab intelligentiis dixit fieri, à quibus res fiant cōtingentes, quæ enim à Deo immediatè fiant, neceſſariò fieri. Mirum magis D. Auguſtinum doctorem tam acutum, illuminatum, Catholicum, de

*Angeli Mūdi ſcilicet cōditores.*

*Epiphan.*
*Philaſtr.*
*Auguſt.*
*Damaſc.*
*Ioan. 1.*
*Alfonſ. caſtr. in vocabulis Creatura & Mundus.*



cū, de Angelis quaſi corporeis toties ſcripſiſſe, qui in Tertulliano reprehenderit, quod animā immortalē quidem, ſed corpoream, ſeu effigiatū eſſe corpus ſcripſerit, nō ob aliud niſi quod eam incorpoream cogitare non potuit, & ideo timuit ne nihil eſſet, ſi corpus non eſſet, nec de Deo voluit aliter ſapere, ne ſi corpus nō ſit, nihil ſit: ac per hoc timēt (Tertullianiſtæ) de Deo credere quòd corpus non ſit, quanto magis timent Deum credere nihil eſſe? quē pro ſua tamen modeſtia eo ſenſu ab hæreſi excuſauit Auguſtinus, poſſe quoquo modo putari naturam, eum ſubſtantiámque diuinam corpus vocare, non tale, cuius partes aliæ maiores, aliæ minores valeant, vel debeant cogitari, qualia ſunt omnia propriè dicta corpora, ſed quia non eſt nihil, nō eſt inanitas, ſed vbique totus &c. Hoc inquit Plato, difficillimum eſt eorum quæ in nobis ſunt, quod cū ab occupationibus vacui, contemplationi vacare volumus, phantaſia ſeſe ingerens tumultum nobis mouet, & facit vt ſuſpicemur corpus eſſe deum, & magnitudine figuráq; præditū, neq; ſinit nos ſine corpore & figura de Deo cogitare &c. Sed de hoc ſatis, quā obiter. Viderunt enim & Philoſophi, præſertim Platonici nullū corpus eſſe Deum, & ideo cūcta corpora trāſcenderūt, quærētes Deum, vt ſuper omnia corpora incorporeum. Et mēs ait, hominis, & rationalis animæ natura, vtique corpus non eſt, porrò ſi noſter animus cor-

*De hæreſibꝰ cap. 86*
*Dogmatib. Eccleſiaſticis cap. 4.*
*De Geneſi lib. 10. cap. 24. 25.*
*Tertullia. lib. de reſurrectione carnis, & cōtra Praxeam.*
*In Phedone. Suidas. τῶ νῶ ἔργον*
*De ciuitate Dei, lib. 8. ca. 5. 6. 10. & alias ſæpe.*

pus nõ eſt, quo modo Deus creator animi corpus eſt? &c. Quidni idem de Angelis colligamus, æque vt anima, ſimplicibus ſpiritibus? Mirum item de hoc mundi & cœlorum animatu eundem ſubdubitaſſe, qui vel Muſcam tamen quà viuentem & animalem, Sole, vel Solis certè lumine prȩſtantiorem, loco antè allegato, aſſerere non dubitauerit. Supereſt recentiorum ſcriptorum locus, quos ſcholaſticos vocant, inter quos qui tuentur hoc gentilitium magis et philoſophicũ quàm chriſtianum & Theologicum de cœlis animatis placitum, non ſe omnino liberant ab omnibus hinc conſequentibus in fide noſtra offendiculis, & paganiſmi in Chriſtianiſmo periculis. Inter quos eſt Aureolus, & Aureolum Ritius, & Ritiũ ſequens Archangelus. Sed quid hîc faciat, qui Sententiario Aureoli ſcripto deſtituitur? Sit igitur eius fides penes citantem Ritiũ. Longa, inquit, argumentorũ ſerie Aureolus conuincere conatus cȩleſtibus orbibus animam, vt formam, inſiſtere, nõ alienum putat eorundem implorare ſuffragia, et colere duliâ, niſi quod ex hoc poſſit facilè ſcandalum puſillis ingeri, vt à duliæ adoratione (quod crebrò prioribus ſeculis cõtigiſſe legimus) tranſirent in latriam, & mutarẽt incorruptibilis Dei gloriam in alicuius creature imaginẽ. Vt et Thomas ſuo antè loco allegatus, reſpõdit etiamſi cœleſtia eſſent animata, fas tamen non eſſe, nec licere ea inuocare,

*Cœlos inuocare et colere.*

*Dulia gradus ad latriã lubricus.*

*Rom. I.*



care, vt auferatur idololatriæ occaſio. Nec ambigũt iſti, quin hæc euitãdæ idololatriæ occaſio catholicos quoſdã induxerit, vt cœli animã plus negarẽt voce pia & velata quadam fronte, quàm pectore & reipſa, præſertim apud Græcorũ progeniem, in quibus vix potuit idolorũ cultus funditus euelli. Hoc autẽ ſeculo, quo iã intrauit plenitudo gentiũ, omnis procul abeſt ſuſpicio, et reuelata facie rei naturã exprimere nullo modo formidam⁹. Hȩc duo priores: quibus tertius addit cœli animã apertè innui apud Hieremiã nomine Reginȩ cœli, quo licet loco corpora opificiáq; cœleſtia quidã adorẽt, non tamen ſecundum quod corpora, ſed quatenus eis inhæreat anima cœlíque Regina alma, nec huius reginȩ cultus prohibetur duliȩ, ſed latriȩ tantùm: at duliæ quoque vitanda adoratio, ne longo temporis progreſſu in latriam tranſeat dulia. Hæc ille. Primùm contra mentem & literã prophetæ, exprobrantis popularibus ſuis Iudæis externum Reginæ cœli cultũ, quæ tandem ea cunque fuerit, ſiue luna, ſiue Iuno, ſiue Cybelle, ſiue fortuna, vt ab Orthodoxis patribus aliter atq; aliter expoſitũ monuimus, ſiue tota etiam cœlorũ cœleſtiúmque ſiderum militia, vt Hebræi quidam malunt. Quæ autem ei cum Aureolo Ritióque latriæ hîc & duliæ cõmunis eſt diſtinctio, vereor vt ne eam ſicut & hoc placitum à philoſophis didicerint, vt qui idem, ſi nõ iiſdem verbis diſtinguerẽt. Cœlum

*Græci.*

*Rom. II.*

*Hier. 7. 44.*

*Regina cæli.*

*Sic antè*

nimirum ſuum illum Deum ſummum ſummè adorantes, cœlites reliquos, ſtellas vt deos inferiores, in ſuo quanque honoris gradu habendos. Conuenientius, & ad dogma ſuum conſequentius hi dicerent, vniuerſalem mundi, aut primi mobilis animã, Deũ vtique Deíve Spiritum Latriâ adorandum, duliâ reliquorum cęlorum ſiderúnque ſiue formas & animas, vt contendunt, ſiue rectores tantùm, & velut aurigas, honorandos, Nam & hos cęlites genios ſcriptores externi etiam animos vocauerunt. Vnde illud apud Vergilium, poëtam quidem, ſed egregiè Platonicum,

*Plato. & apud Tertullian. lib. 1. in Martionẽ igneum deorum genus.*

*Animi cœleſtes.*

*Aeneid. 1*

*Tantæne animis cœleſtibus iræ?* Hoc eſt, diis ſuperis, interpretibus Seruio ibi & Donato. Sed periculoſus eſt, aiunt iſti, & procliuis à dulia in latriam lapſus, ideóque neutro potius cultus genere colantur. Perinde acſi dicerẽt, Euadi non poteſt, quin ſi quod ſubiectum rationis, ac proinde virtutis particeps eſt, cùm honor ſit præmium virtutis, idem ſit etiam honoris capax. Et cœli quidem ratione ac virtute præditi ſunt, ac proinde honorẽ merentur, verùm ne diuinus illis tandem honor tribuatur, & cum gentilibus aut Iudæis gentilizantibus euadant Chriſtiani Cœlicolæ, Aſtricolæ, Stellicolæ, ideo nec honorentur quidem omnino. At ab huiuſmodi ſuperſtitionibꝰ ſecurus eſt, qui cœlum portionẽ quidẽ mũdi puriſſimã, vt inquit Philo, ſic agnoſcit, vt nec cœli tamen, nec orbium

*De charitate.*



bium cœleſtiũ, nec ſiderũ animas agnoſcat aut animos, de quibus ei ſit prophetarũ & Apoſtolorũ ſilentiũ, nõ errãdi, vt minus catholicè loquũtur Ritius & Archãgelus, occaſio, ſed de his tacendi ſaltẽ imitatio, imò huiuſmodi profana, vt & Paulus præcipit, vitandi & negãdi cõmonefactio. Nec verò ſufficit excuſari, hæc vt probabilia & philoſophica diſputari, aut etiã ſuſtineri, Vt has in peccatis excuſationes inexcuſabiles eſſe, nec accipiendas, ante annos plus minus trecẽtos Stephanus Epiſcopus Pariſienſis præfatus eſt in articulos Pariſienſes, inter quos & huius placiti habetur condemnatio, fuiſſe iam tum Lutetiæ ſtudẽtes in artibus, qui proprię facultatis limitem tranſcendentes, errores quoſdã (inter quos & hic improbatur) quaſi dubitabiles in ſcholis tractare ac diſputare pręſumerẽt, quos pręſertĩ gentiliũ ſcriptis muniebant. Et ne, quod ſic muniebant, aſſerere viderẽtur, reſponſiones ſic palliabãt, vt dicerẽt huiuſmodi nota eſſe & vera ſecundũ philophiam, non ſecundũ fidem Catholicã. Quaſi verò ſint duæ veritates contrariæ, aut cõtra ſcripturæ ſacræ veritatem, ſit vlla in gentiliũ dictis veritas: de quibus ſcriptum eſt, Perdam ſapientiã ſapientũ, quia vera vtiq; ſapientia falſam perdet ſapientiam. Hæc ille. Non eſt ergo cur hũc cœlorũ animatũ, philoſophiæ prętextu, Eccleſię obtrudamus. De quo cùm alij aiant, alij negent, alij dubitent, idq; non neſcirem, occaſio-

*1. Tim. 6.*
*2. Tim. 2.*
*Pſal. 140*
*Excuſationes in peccatis.*
*An. 1271*
*Veritas vna, non duæ.*
*Eſa. 29.*
*Abd. 1.*
*1. Cor. 1.*

ne, quam præfatus ſum, ſuper eo ſcriptores veteres, medios, & modernos, quos potui cunque ſcrutatus, comperi partē aſſertoriam minus tutam: inficiatoriam contrà tutiorem. Nec verò non potui aut nō debui moueri autoritate Synodica, & maiorum noſtrorum, Theologorum dico Pariſienſium cenſuris, Eccleſiæ & huius academię filius & alumnus. Et quidē qui huius vnquam argumenti librum inſcripſerit, præter Paulum Ricium, qui id ſtudio tractauit, alium legi neminem, vt hæc noſtra opera ſuperfluere prorſus videri nequeat, etiā ſi hæc à nobis primùm non ſunt velut è fonte profecta, ſed ſparſim in aliorum hortis enata, & in hunc tenuem riuulum deducta. Nec nocet iterū, imò ſæpius dicere, quod rectè dicitur. Neque nihil eſt ab aliis tam multis ſcripta in vnum congerere, & quę alibi ſparſim, vt prędixi, inuenias, vno quodā loco exhibere. Nonnihil item eſt rem dilatare, variare, ſtabilire, lectoris denique ſtomacho pro temporum habitu & locorum attemperare. Quod an à nobis præſtitum ſit, aliorum eſto iudiciū, ſedulitas certè non defuit, vt alius fœlicius præſtet, hanc apud quencumque laudem facilè eſſe patiar, aliquid modò bonifructus enaſcatur. Nec enim temerè ſic meſſores omnia ſublegunt, quin aliquid adhuc poſt tergum relinquant.

FINIS.

INDEX

# INDEX ALPHABETICVS, IN QVO PAVCVLA.

*pr. prænotata notant ea quæ ſunt in præfatione.*

A


Abælardi error 115. 123
Abraham prius ex Agar quàm ex Sara generans pr. 5
Abraham omnia dedit Iſaac, nihil aliis filiis pr. 13
Academici 83
Ægyptij 93
Aëria animalia 129
Æterna an cauſam habeant 123
Æther quintū corpus 88
Agar ſecularis Philoſophia. pr. 5. pediſſequa.
Albertus magnus 46
Albertus de Saxonia 74
Albumaſar 108
Alcinous 91
Alfonſus de caſtro 48
Algazel 107
Ambroſius hîc Origenicus 18
Anaxagoras 80. 96. 97
Angeli cœlum dicuntur, id eſt, cœlicolæ 26. 54. 63. Deo cōparati, non iuſti 32
Angeli cœlorum motores 52. 53
Angeli cœlo deturbati 54
Angeli propter hominem 59. 60
Angeli mūdi Rabinis conditores 107. 130
Angeli an corporei 110. & ſeq.
Angeli an animas habeant, an animæ ſint, aut animalia 111
Angelorum inuocatio 41
Angelos eſſe probant inſenſibilia 68

Angelicæ hierarchiæ, & actiones 101. 103. ordines.
Anima implet totũ corpus, cui vnitur 41. 74
Anima ſiue forma cũ cœlo an mouetur 82. 88
Anima æquiuocè 46 84
Anima vnius vna, non plures 85
Anima non eſt corpus 131
Animæ definitio 111
Animæ facultates quæ in cœleſtibus quæ non 44. 48
Animam dici de vita 109
Animal ligatũ & non ligatum 84
Animalis nomen an Deo conueniat 108. an angelis 109. 110
Animaliũ omnia plena elementa, cœli &c. 88. 95. 96. 112
Animatum denominatiua appellatio 70. 82
Animi cœleſtes 134
Antonius zimara. 76 79. 81. 83. 123
Aratus 108
Archãgel⁹ cabaliſta 9. 83. 98. 114. 120. 132. 135
Argyropilus 108
Ariſtoteles 12. 38. 40. 44. 45. 48. 68. 70. 80. 92. 88. 94. 102. 108. 110. 111. 125. 123. interpretes
Articuli Pariſiẽſes nõ tranſeunt &c. 48. 42 119. 135. pr. 10
Aſtra matutina munda 5. 7
Atheiſmus 50. 104
Atlas 72
Auerroes & Auerroica. 39. 70. 45. 81. 82. 83. 84
Auguſtinus 26. 27. platonizat & Origeniſat. 33. 36. 37. hîc parũ reſolutus 39. 40. 43. 47. 51. 52. 59. 60. 62. 65. pſeud' Auguſtinus 67. 69. 96. 107. 109. 111. 131. 129
Auicennas. 38. 93. 107
Aureolus ſcholaſticus 131

B

Baſilius 10. 66. pr. 11
Beda 94
Bernardi locus. 114. 115 123. 125.
Bonauentura 47. 65
Beſſario 108. 109

C

Cacodæmones Eudęmones 34
Caietanus 44. 63
Catarinus 63
Cethura aut chetura pr. 14.
Chriſtus pro aliis quã hominibus paſſus 7
Chryſoſtom⁹ 12. 13. 56. & ſeq.
Cicero 15. 36. 93
Circulus cœlũ & animus 102
Ciuitas, ciues nõ ædes 12
Clemens Romanus 1. 12
Clictoueus theologus Pariſiẽſis 11. 63. 71. 73
Cœlius Rhodiginus 84. 87. 93. 107
Celſus philoſophus 4
Cœlum quintum corpus æther 21. 22. currus volucris.
Cœlum propter hominẽ, non contra 56. propter Eccleſiam 57. 59
Cœlum in ſcripturis multinomine 62
Cœlum velut animal quoddam hominis forma 73. 75. quale Ariſtoteli & Auerroi 77
Cœlum vt ſimplex aut compoſitum 76
Cœlum deus ſummus adorandus 91. 120. 121. 134
Cœlum Dei & immortalium domiciliũ 94 121. 122. nomen
Cœlum & ſtellæ vt ex elementis 109
Cœlum vt à D. factũ, nec tamẽ generabile 123

Cœli ſonus 12.13 tacẽs 14. cõcentus & preces 26
Cœli militia 35
Cœli anima mouens tantùm, an eſſe dans 45.48 aſſiſtens, an informans? 70
Cœli ſupplices, non ſupplicandi: 4. 41. 132. nec colendi.
Cœli vt enarrant gloriam dei 12
Cœli & ſtellæ nec dii, nec deæ 35.85. dij aut deorum imagines.
Cœli, cœlorũque virtutes. &c. 40.63
Cœli à quibus mouentur 52.53
Cœli præſtantiores & perfectiores an hominibus. 53
Cœli corruptibiles natura, gratia cõſeruãtur 69.75 de ſe.
Cœleſtes motores in ſui quiſq; cœli parte 41
Cœleſtia nõ ſimul facta & animata 6.22
Cœleſtia an alãtur 92. 94
Cœleſtia æquiuocæ animata 42.46 animalia 77
Cœleſtium labor. 19. 20 de nobis ſollicitudo
Cœleſtium ſeruitus & corruptio 19 trãſitus 56
Cœleſtiũ homini vſus multiplex 61
Color viridis 98
Commentatoris officium 26
Compoſitio alia in caducis, alia in æternis 81
Cõſtantinopolitana 11 Synodus. V. 37. 119
Contactus virtualis 42 44.80.81 quantitatinus
Corporea quodã modo oĩa prẹter deum 116
Corporis nobiliſſimi nobiliſſima forma 43
54.77 gradus
Creatura omnis vt benedicit Deum 13.14 precatur
Creatura rationis eadẽ ſalutis capax 59
Creatura tripertita 59
Crux etiam cœleſtia purgauit 25
Cuſanus cardinalis 83

D

Dæmones an animales corporei 112.117
Dæmonum ſex genera 117
Damaſceni duo 11.40. 52.66.67,68.116
Democritus 80
Denominatio ſiue denominatiua appellatio 70.82
Deus nullius corporis forma aut anima 39.
Deus creaturis vtitur per creaturas 51
Deus an animal dici poſsit 108.110. quale
Deus deorum 128,129.
Deus, non eſt corpus. 131
Dei nomen tetragrammum 98.121
Dij gentium bruta 17
Dij nuncupatiuè 129
Deorum plena oĩa 88
Dialectica 61. Chriſti pr. 6
Diodorus monachus polygraphus 79.102
Dionyſius Areopagita 53.84.87.118.100. pr.7
Diſcus 105
Dulia gradus ad latriâ 132.134

E

Eccleſia cœlo honoratior, fortior, Deo charior 57
Eckius cõtra Recium 49
Elementa Dij 17.34. & non dij 35. 130. animata 2
Elementis ſua cuique ineſſe animalia 112
Encyclicæ diſciplinæ pr. 5.6.13
Epicuriſmus 50.80. 164

Epiphanius Origenomaſtyx 33.50.113
Eraſmus 65.111
Euripides 96
Errores de cœlo & ſtellis, condemnati 43
Eſſæni 104
Euſebius Pamphili 9. 33.102.104.108
Extrema per medium iungi 83

F

Filius D. factus homo, non aliud animal 7
Finis propter quē pręſtantior iis quæ propter aliud 61
Forma perficiens non inherens 76
Forma cœli quodam modo anima 77.78 non elementaris 85 dat eſſe rei
Fortunati carmen 14
Franciſcus Syluester 45.80

G

Gellius 79.125
Generatio duplex 124 125
Genij angeli 129.134
Geometria, pr. 6
Georgius pachymerius 72
Grammatici conſentiunt cœlos eſſe inanimatos 55. pr. 6
Gregor. Magnus 112
Gregorius Nazianzenus 62. pr 11
Gregorius Nyſſen⁹ 62
Groſſipedales cœlorū animatores 76
Gymnaſiū ſchola 105. 106

H

Hæreſes à gentilium philoſoſophia 130 pr. 9
Hebrei quid hîc ſentiant 9.99.104.108
Hali 108
Hermes triſmegiſtus 123
Hermias 91
Hieronymus 13.14.22. 40.50.51.65.66.94. 123.130
Homo nō eſt pars mūdi 16. oīs creatura 30
Homo corpore nedū anima, cœlo præſtātior 54.58. dignior honoratior melior Deo charior.
Homo propter Deum, mundus propter hominem 60
Hominis ſunt omnia, ſuperiora, æqualia, inferiora 60
Homini viſibile par nihil 58
Homini ſubeſſe omnia etiam quodā modo angelos 60
Hymnus triſagius 113
Hyperbole 23

I

Iezrael Iſrael 14
Imago Dei homo, non cœlum nec cœleſtia 10
Intelligentiæ cœleſtes 46.47.48. ſpirituales 76. cœlos mouent nō informāt 82. cœlorū nec formæ nec animæ
Intelligibilia ſenſilibus præſtantiora 36
Ioan. Grammaticus 75
Iob liber vt legendus 31
Iudæi philoſophantur 105 gentiliter 107
Iudęorū ſectę 104.105
Iudicādorum ordines 40.69
Iulius palamedes 79
Ixion 72

L

Lactātius 14.15.34.66 72.89.97
Lateran. concilium 115 pr. 11
Libellus de cauſa 83
Liberum arbitrium 4. 11
Linea viridis 98
Ludouic. Viues 111
Ludouici xii. edictū de tēpore ſtudij. pr. 12
Luna Regina cęli 6.50 92. macula.
Lunam deuocant malefici 29
Lyranus 50.105.108

M

Magnalia, mirabilia,

miracula 51.52
Manilius 92.108
Marc⁹ anachoreta 117.
Marſili⁹ Ficinus 87. 91
Materia cœli 77. 84. 85. ſeu ſubiectum
Mens cœleſtia mouẽs Dei non cœlorum 15
Metaphora 28.113
Metonymia 11.12. 22. 14.100.121
Michael Pſellus 117
Mouendi motus triplex 87
Mulier ratio humana pr. 10
Mundus Deûm & hominum domus 17
Mundus ſtoicis Deus 16.17. 29 nedum animal 34.35.39.95. ciuitas, vrbs, Reſpub. 115 non animal 123
Mũdus propter hominẽ, non contrà 60.61
Muſca luce præſtantior 36.131
Muſica pr. 6

N

Nauis & nautæ ſimile diſſimile 80
Nicephorus 38

O

Omnia 24. 26. omnis ciuitas.
Ordo rerum communis 51. ſiue naturalis 53
Origenes 3. diſputat non affirmat 5.8. 24. 111.129
Origenes ambulat in magnis & mirabilis ſuper ſe 8
Origeniſtæ 30 38
Orpheus & Orphica 108.119

P

Paleſtra 106
Pamphilus martyr 8
Paulus Ritius ex iſraelita chriſtianus 48
Paulus plures permouit quam cœlum 58
Perfectio naturæ & gratiæ 53.83 ſimpliciter & ſecundũ quid
Paripatetici 52
Phariſæi 104
Philaſtrius 33
Philo. 8.94.105.120.126 & ſeq. 134
Philoſophandum paucis. 125
Philoſophia vera & falſa. pr. 12
Philoſophorũ. i. fatuorum principes. 127
Picus Mirandula. 9.98. 100.101.121.
Plato. 8.22.29.33.40.41 & Platonici. 52.69.86 102. 107.112.120.125. 126.131.133.
Plauſtri & bonis ſimile diſſimile. 8
Plinius. 92.109
Plotinus. 91.93.102
Plutarchus. 69.86.92
Poëtæ inuoluunt vera fabulis. 110
Porphyrius, ſibi & Platoni diſſonus. 33.93
Poſitionũ in cœlo differentiæ ſex 72
Prophetarum de cœleſtibus animis ſilentium. 49.135
Propoſitiones de ſuperis & inferis æquiuocæ. 84
Proſopopeiia. 2.11.12. 21.68.100.
Prouidentia. 80
Pſalteriũ Gallic. & Roman. 11.54
Ptolemæus. 92
Pythagoras. 69.72

R

R. Moſes 102.107
R. Iſaac. 103
Regina cœli. 6.50.132
Regula Chriſti. 62
Res pluris quàm ſigna. 62.94. diuiſio.
Rhetorica pr. 6
Ruffinus. 111

S

Saducæi. 104
Salomon cœlum vt innocet. 101.121
Sãctus nomine quidam pater. 115
Sara, Theologia. pr. 5.7
Scholaſtici hîc opinioſi. 38.110.111.131.48. diſtinctio.
Scotus. 46.65.66.76
Scripturę trãſitus à ſpeciali ad generale &

contrà. 64
Seruius. 92.134
Simplicius. 75
Sixti Senenſis Bibliotheca ſancta. 12.63
Solis inuocatio. 50.51. curſus.96.quid.
Spiritus ineſt omnibus 9.10. duplex.116. nomen.
Spiritus mouens cœlũ. 51.53. 23.41.bonus nõ malus. 87
Spirit⁹ vt interpellat.53
Spiritus ſanctus anima mundi. 123
Stelle non maleficæ.10 88.an dij 92.95.quid? dij minores. 125. 126.magiſtratus. 127. 128
Stelle & Sphæræ norũt Deũ, angelos & nos. 102
Stoici 15.34.93
Suidas 35.64.79.92. 96.110.120.131. pr.7
Synodus V. Nicena.11. 115.

T

Tatianus. 9
Terra mater noſtra. 3. 4.89.animal.
Tertium vnum ex duobus per ſe. 85
Tertullianus. 108.110. 131.133. pr.9
Thalmud.102.107 quãdo cœptus & perfectus. 107
Theodotus. 19
Theophraſtus. 88.107
Thom. Aquinas.38.42. ętas & obitus.44.48. 51.67.69.107.110.112 116
Timæus Locrenſis.90. 108
Triduum & Trinoctiũ Chriſti. 20

V

Vanitas quid Paulo, & Salomoni. 2.6
Veritas vna,non duæ. 135
Viæ Domini. 14
Vinculum ſiue ligamẽ vniuerſi. 83



Viuum non viuo præſtantius. 37.43
Vergilius. 92.118.134
Virtutes cœlorũ quæ? 64
Vita tantùm animatorum. 103
Vnio virtualis.42.81.alia in caducis, quàm in æternis. 84. æquiuoce. 86

X

Xenaias ſeu Philoxenus. 115

Z

Zabiorum error. 39
Zacles. 108
Zoon & zoë. 109

*Additio ad pag.114.poſt tò deciſio. Radulphus Ardens Gulielmi V. Aquitaniæ ducis concionator vetus Theologus, de Aſcenſione Domini. Rationalia animalia, id eſt, Angeli & Homines, viſam ſui Domini aſcenſionem teſtificantur, pariter & admirantur.*

# STILLICIDIVM.

EST cur viuere debeam, futurus
Æterno Domino, Deóque noſtro,
Sanctis fratribus, omniúmque matri
Communi, Domini Deíque noſtri
Sponſæ, prorſus inutilis, mihíque
Carnis plus nihilo ferenda moles?
Noctem vrgere ſolet dies, diem nox.
Nec me noctibus, aut diebus vllum
A languoribus otium reclinat.
Nocturnam patior parem diurnæ,
Nocturnæque crucem parem diurnam.
Quis noctem mihi (mane dico) præſtet?
Quis lucem mihi (nocte dico) reddat?
Morbum ſtilla cadens facit, malúmque
Huic cognomine ſtillulæ cadenti,
Torturam diuturniorem, & omni
Letho carnificem magis moleſtum.
Hic me cætera, largiente Chriſto
Sanum, ſtrangulat irremiſſus: vt ſit
Morborum vice morbus omnium vnus,
Quo qui langueat, omnibus laboret.
Stilla, ô Stillula contumax, rebellis,
Quæ mentes medicûm, manúſque doctas
Fruſtraris, ſuperas: malo vt mederi
Irritare malum ſit, haud fugare,
Hunc carnis ſtimulum, eruditionem, &
Dextræ, Chriſte, tuæ probationem,
Tu vel gratuito fauore ſiſte.
Vel me contrà animo fac eſſe forti.
Nil te, numine nil loquar Paterno
Indignum, vel agam, nec inſtituto
Orthodoxam hominis fidem profeſſi.
Et totam hæc meritam flagella vitam
Correptam, in melius mihi refinge.
Sic oblita meæ malignitatis.
Et vitæ immemor antè nequioris,
Quantillum ſupereſt mihi malorum
Annorum, tua CHRISTE, ceſſet ira.
Si nec ſic tibi ſeruus hic futurus
Frugi ac vtilis, at nec otioſi
Ingeni, neque nullius laboris.
Author cuius vti es datórque, ſic te
Euentus penes eſt ſecundus vt ſit.
Nec verò melioris abſque frugis
Ægrum ſpe trahit ægra mens cadauer,
Nam ſi tot mihi lineas moleſtis
Horis ducere morbido dediſti,
Quid non es, bone, ſoſpiti daturus?

# ALIVD.

Morbus amicitiam medicorũ vincit & artem.
Inque medente ratas ſpes iubet eſſe Deo.
Morigerus minus hoc morbus mihi, piúſque
rebellis.
Quò magis hic ſummo verna reſiſtit hero.
Vilene mancipium Domino haud parere beni-
gno?
Et victas hoſti tam dare ſæpe manus?
Carnifici, qui me toties ſtillantis arenæ
Author in exhauſto corpore diſcruciat.
Cogitet ille mali quiduis, meus in mea vertet
Commoda CHRISTVS, vti ſuſtinuiſſe queam.
Vt nihil indignum faciam, dicamve magiſtro,
Non licet hoc dignus nomine: diſcipulus.
Sed bona qui Domino non infima dâte recepi.
De Domini capiam miſſa flagella manu.
Cuius enim par eſt me iuſſa capeſſere, non par,
Quod velit, vt iubeat: quòd iubet, vt tribuat?

*Sic ſæpe D. Auguſtinus.*
*Iube quod vis, da quod iubes.*

UNIVERSITARIA